




XV
SEVER
DAVIS
1660
1
7
321










IDEA
MEDICINÆ
PHILOSOPHICÆ.

Continens Fundamenta totius Doctrinæ Paracelficæ, Hippocraticæ & Galenicæ.

Authore

PETRO SEVERINO DANO

Philosophiæ & Medicinæ Doctore.



HAGÆ-COMITIS


Ex Typographia ADRIANI VLACQ.

Anno Domini M. DC. LX.

SERENISSIMO ET ILLUSTRISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO

FREDERICO II.

Daniæ, Norvegiæ, Slavorum & Gotthorum Regi, Duci in Schleswick, Holsatia, Stormarn, & Dietmarschen, Comiti in Oldenburgo & Delmenhorst, Domino suo clementissimo.



Ntiquos illos Sapientes, & priscos Philosophos, REX SERENISSIME, *non frustra ad Naturæ contemplationem, & rerum fontes ac Principia inquirenda excitatos, credere par est: sed iisdem stimulis impulsos, quibus & nos hoc seculo meritò obtemperare deberemus, ad causarum investigationem descendisse. Etenim, posteaquam necessitatibus undique obruerentur Mortales, temporum & tempestatum injuriis, sterilitates assiduè experirentur, & novis ac inusitatis Elementorum resolutionibus, terræ motibus, inundationibus, peste animalium & hominum, miserè affligerentur: ut est Natura omnium salutis & conservationis studiosa, prudentiores altiorísque ingenii homines, quærere cœperunt, qua ratione his calamitatibus, salubri providentia occurri possit. In hac quæstione dum strenuè versarentur, deprehenderunt causarum esse connexiones, alia ex aliis pendere, mirandóque ordine, posteriora ex prioribus, inferiora à superioribus, debiliora à potentioribus conservari, foveri, & gubernari: adeóque sterilitates & fertilitates, sanitates & morbos, mutationésque omnes ultimarum rerum, ex virtutibus priorum derivari. Ultima verò extiterunt ea, quibus vita carere non potuit, ut Vegetabilia, Animalia, Mineralia, aquarum, terrarum, aëris, & Cæli favores. Ita quatuor fontes, nutrices, & tutores, confestim apparuerunt, ex quorum benignis & fœcundis thesauris, omnia suppeditarentur, ad vitæ hujus usuram necessaria: Ex silentiis verò, & inimicis resolutionibus desperatæ messes, corruptiones, pestes, destructiones, & infinitæ clades contingerent. Id solum restabat, ut ex tanta rerum copia & universitate discernerent,*

quæ, quibus consentirent, & conspiratione deprehensa, quibus legibus, effectus causis copularentur. Arduum fuit hoc, & immensa observatione inquirendum. Proinde, ut difficultati consuleretur provincias sortiti sunt. Alii frugum, vitium, arborum, armentorum, apum, & similium rerum nativitates, transmutationes, felices proventus, defectus, & corruptiones, præcipuè consideraruut. Hi proprietates Animalium, Plantarum, maximéque domesticarum, quæ victum & vestitum præbent, seminum naturas, locorum opportunitates, Cœli & astrorum societates, ex quibus temporum fœcundæ occasiones colliguntur, studiosè notarunt: causisque fertilitatum deprehensis, opulenta segetum fide, & gregis indubitata spe, beatam ducebant vitam. Quinetiam Decretoria sydera, vitium, oleæ, frugum, glandiferarum arborum, syderúmque ortus & occasus, auspicatos vel inauspicatos, ob certos Lunæ aliorúmque syderum congressus, cum prioribus observationibus conjungentes, futuras sterilitates, magna & utili admiratione, sæpe prædixerunt. Agricultura appellata fuit hæc Philosophia, prima summéque necessaria mortalibus. Alii deinceps, ulteriores progressus fecerunt, & humanam provinciam adepti, alimentorum naturas, proprietates, præparationes, legitimas administrationes, morborum quoque origines, prædictiones, præservationes, curationes, regionum, temporum, aquarum, aëris & Cœli conspirationes, indefessis laboribus investigarunt. Obscurior hæc provincia & difficilior extitit. Generationes enim morborum & actionum naturalium dispensationes, occultæ penitus erant, nec semina, nec loca, sensuum beneficio deprehendi poterant. Proinde Medici, quorum industria hoc loco requirebatur, profundiores contemplationes aggredi cœperunt, & ad Naturæ penetralia propius accedentes, invisibilium seminum artificiosas lithurgias, ex causarum proprietatibus & effectuum observationibus, paulatim deprehenderunt. Magna fuit industria & concordia Mortalium illis temporibus. Quisque suas observationes candidè in medium attulit. Etenim vitæ brevitatem ad Artis absolutionem, tantarum Observationum collectione, prodituram, sufficere haud arbitrabantur. Quocirca discipuli Præceptorum Observationibus, legibus ac Methodis instructi, suas adjicientes, veritatem priorum confirmarunt, obscuritatem illustrarunt, angustiam copiosa supellectile dilatarunt: Sed humana omnia ruinis & erroribus obnoxia sunt. Hanc paucorum industriam, & laboriosa Experientiæ tædia, non tulerunt alii. Methodos quæsiverunt, & Geometricas Demonstrationes earum rerum, quas sola Natura metiri potest. Tum verò paulatim migrare cœpit vera Medicina in linguas, relictísque rebus ipsis, ac observationum fide, Hypotheses quærere cœperunt, Demonstrationibus Geometricis accommodatas. Ita caliditatum, frigiditatum,

tatum, humiditatum & siccitatum patrocinia, Graduúmque ministeria, definitis numerorum limitibus descripta, in Medicinam introducta sunt: ex quibus faciles Demonstrationes morborum & remediorum deduci poterant. Experientia ubique difficultates pollicebatur. Sæpe surrexerunt tales hypotheses, adversus naturales & legitimas Medicinæ Methodos: & temporibus Hippocratis etiam Propugnatores invenerant: diligentia tamen ipsius & discipulorum repudiata, confestim succubuerunt. Ante annos verò mille ducentos, repetita incursione, Medicinam tum variis fluctibus agitatam, adoriebantur. Inclinabatur Seculum ad socordiam & desidiam: Vertiginis quoque poculum undique effundebatur. Ita senescentibus Experientiæ laboribus, maturescentibúsque linguæ honoribus, altiores radices egerunt. Ignavia opem tulit. Brevitatem enim Artis, & compendiosam facilitatem ex Hypothesibus proficiscentem amplexata est potius, quam Experientiæ obscuras & longas exercitationes. Iam triumphus instabat, Mauritanis coronam pollicentibus. Hi avidè receptis tam facundis & facilibus Hypothesibus, à quibus, quia agendorum rationes frustra petebantur, Experientias quasdam, sed molles, non laboriosas, non profundè quæsitas, non aditis & thesauris Naturæ, artificiosa contemplatione erutas, adjunxerunt: victoriæque spolia, in Luminaribus & Dispensatoriis, copiosè ostentabant. Quamvis autem immutabili triumpho, ut ipsis videbatur, novas has Methodos & Hypotheses decorassent: nihilominus Experientia, unica Medicinæ parens & nutrix, occulta quadam Scientia, tam ægrotorum, quam Medicorum, locum mereri videbatur, utcunque Caliditatum & Complexionum acribologia, divitias in ævum duraturas, pollicerentur. Hippocratem proinde, inscitiæ suæ præfecerunt. Ipsius Experientiis injustè gloriabantur, & peregrinis violentísque interpretationibus, Divina illa Oracula, obtemperare coegerunt, quæ ipse senex Experientiæ submiserat. Ita quoties contra Empiricos instruenda esset acies, Hippocratem, quem ipsi quoque admirabantur, etiam invitum producebant, iniquitatis futurum testem, & si fata volunt, aliquando vindicem. Latè regnavit hæc Monarchia, & ad nostrum usque seculum imperium invictum obtinuit. Confluxere omnes Græci, Arabes, Itali, Germani, Galli, & nomina tam potenti Monarchiæ dederunt, servitutis perpetua fide obligata. Oriebantur novi morbi, & adhuc indies oriuntur, qui calidis & frigidis Hypothesibus non respondent, quorum curationes, remediis Methodorum ministerio inventis, frustra instituuntur. In his subtilitates miræ quæsitæ sunt, & Caliditatem ac Siccitatum universa Mysteria producta: quibus silentibus & ad miraculum insperatæ hujus innovationis obstupescentibus, Occultæ proprietates clanculum irrepserunt. Gaudebant Potestates Hippocraticæ, neglecta earum desideria rursus Mortalibus placuisse. Abditæ vero latebant, nec via patuit, ad earum vitales provincias perveniendi. Et si quis necessitate morborum, ægrotorum misericordia & querelis, compulsus, Proprietatum investigationes,

tiones, avidus instituisset, confestim depositæ fidei memor, Proprietatum potestates, vel nomine, saltem obscuro, donavit, vel gubernationibus Qualitatum subjecit. Qui verò libertatis memores & Pietatis, Experientiæ difficultatibus, laborum assiduitate, meditationum frequentia, obscuritates Proprietatum aperire conabantur, & aditus faciliores demonstrare, Desertores, Empirici & Circumforanei appellati sunt. Conatus quoque eorum displicuerunt, quia labores & sudores Medicorum requirere videbantur. Horum Collegia & Consilia, ob difficultates, brevi discipulos amiserunt. Multiplicantur interea morbi, & antiqui, illegitimi apparent, non respondentes descriptionibus Avorum. Difficultatem admirantur Medici, remediorúmque imbecillitates, ad Experientiam, vel inviti, confugiunt, à Mercatoribus ligna, à Circumforaneis unguenta, avidè accipiunt, ad multorum morborum curationes: remediáque componunt ex Manifestis & Occultis. Deceret imprimis humanæ libertatis memoriam repetere, & præsentium calamitatum necessitates æstimare: deinde ad contemplationem Naturæ, Causarum & Proprietatum accedere: neque ullis difficultatibus, sumtibus, vel laboribus, à tam felici provincia absterreri. Nulla verecundia Græcis vel Arabibus obstringimur. Ægrotorum servi sumus, quibus Medicinam creavit Altissimus, & creatam nostræ industriæ commisit.

De hisce rebus & consiliis sæpe cogitavi, REX SERENISSIME, *ut qui ab ineunte ætate, Medicis & Philosophicis studiis me addixerim. Quia verò in operibus Artis, sæpe deprehendi Theoremata Galenica (multo minus Remedia) in difficilimorum morborum curationibus satisfacere non posse, & passim per Germaniam, Medicamenta quædam Paracelsica jactari audirem: cœpi Scripta ipsius diligentius perlegere. In quibus difficultatum Charybdis repræsentabatur, nominum obscura novitate, apparentium contradictionum multitudine, Præparationum ænigmate, & nova Philosophandi ratione. At certè, quando obscuritas major apparuit, tantò plus crevit desiderium & diligentia. Itaque assiduitate, vigiliis, indefesso studio, laboribus, peregrinationibus, sumptibus & periculis, objectas difficultates superare contendi: Præparationúmque fideli exercitatione, Proprietatum naturas, diversoria, & compositiones paulatim addidici. Tum verò Generationum & Transplantationum contemplationi strenuè incumbens, Antiquorum decreta, qui Naturæ historiam, Elementorum & seminum proprietates, agrorum cultus, astrorum observationes, Plantarum, Mineralium, & Animalium Generationes descripserant, evolvere cœpi, utilitate maxima. Etenim ordinum rationem, interpretationum varietatem, & vitalis Astrologiæ Methodos, quibus in tota sua Philosophia & Medicina utitur* PARACELSUS *explicarunt. Aliorum quoque Philosophorum authoritate confirmatus, quorum nomina hoc loco recensere non est necesse, censuram utriusque Philosophiæ instituere placuit: libertateque Philosophica fretus, fundamenta primum Naturæ immobilia collocavi, ex quibus effectuum causas, qui Naturæ imperio subjiciuntur,*

tur, agendorum rationes, Mechanicos progressus, & ordinatas causarum explicationes deduxi. Gratum tunc fuit umbras rerum superesse: gratius, Consonantiam Antiquorum Philosophorum deprehendisse: gratissimum verò, Naturæ benignam providentiam intellexisse, quòd tam mite & amicum Balsamum morborum omnium curationibus destinarit, cujus præsidio tam duri languores Mortalium benignè refocillantur. Neque mihi soli hanc censuram retinere decrevi. Abhorret animus ab invidiæ crimine. Avorum simplicitatem, studiorumque concordiam imitari decet, & societate officiorum necessitatibus præsentibus succurrere. Proinde quicquid laboribus, vigiliis, studiis, & peregrinationibus lucri feci, quod Medicinam & Philosophiam illustrare potest, quoad licuit, aliis candidè communicavi, communicaturus plura, si hunc fœtum non frustra in lucem venisse animadverterim. Arduum certè hic fuit, obscuris lucem, fastiditis gratiam, vetustis novitatem, dubiis fidem, ignotis nomina dare. Et veniam hoc quoque pacto merui, quòd insuetas interpretationum vias sæpe tentarim. Etenim Philosophorum vestigiis insistens, multa ab aliis prætermissa adjunxi, angustias Methodorum dilatavi, & dissipatas rerum familias conspirare feci. Neque Recitatores, neque nudi Transcriptores fuimus. Ex fontibus iisdem, ex quibus Antiqui, & Recentiores abditoris Naturæ Interpretes, rivos deduximus. Sæpe confluxus rivorum aspicientes, hilari recreatione lucubrationum tædia mitigavimus. Tuæ verò Celsitudini, REX SERENISSIME, hos meos labores dedicare volui, ut verecundi animi venerationem, aliquo saltem argumento declarem, ac favorem & benevolentiam Celsitudinis tuæ, grata voluntatis significatione celebrarem. Reges, etiam Monarchæ, tales fœtus olim in suas tutelas benignè receperunt. Ipsi quoque Naturæ mysteria, magna mortalium utilitate strenuè quæsiverunt. Vitalia enim sunt, & viventium spirituum ministeriis utuntur. Nostrum hoc Seculum ad corpoream Philosophiam defecit, mortuásque rerum umbras sectatur, in quibus nec Regibus quicquam dignum est, nec aliis utile. Quòd si hæc prima lucubrationum mearum rudimenta Celsitudini tuæ placuisse sensero, majora polliceri possum, & magis elaborata, quæ votis multorum satisfacient. Is qui corda Regum moderatur, qui gubernationes felices solus efficere potest, qui Sapientiam, per quam Reges regnant, largitur Deus Optimus Maximus, Celsitudinem tuam quàm diutissimè superstitem ac florentem nobis conservet, & consilia tribuat, ut sopitis diuturni hujus belli tam ærumnosis calamitatibus, optata tandem tranquillitas afflictæ nostræ patriæ restitui possit, Vale. Florentiæ Hetruscorum, Calend. Novembris, Anno Salutis 1570.

Cels. T. addictiss.

PETRUS SEVERINUS,
Philosophiæ & Medicinæ Doctor.

Typographus Lectori.

QUandoquidem Clariſſimi ſimul atque Doctiſſimi Viri Guillielmi Daviſſoni Commentariorum in Ideam Medicinæ Philoſophicæ Petri Severini Dani Prodromum, prœlo noſtro commiſimus, rem multis gratiſſimam me facturum arbitratus ſum, ſi & Librum ipſum ſuper quo Commentaria ſcripta ſunt, publici juris facerem, tum quia Exemplaria Baſileæ atque Erfurti excuſa jam dudum diſtracta ſunt, atque vix aliquod quovis prætio comparari poteſt, tum ut Curioſus quilibet ab ipſo Fonte aquam haurire poſſit, cujus ope ſitim ſuam ſufficienter expleat. Accipe igitur hanc tertiam Editionem à multis erroribus repurgatam, atque promptiſſimæ noſtræ menti ad utilia atque honeſta ſtudia promovenda fave, multumque vale.

PETRI SEVERINI DANI,

IDEA MEDICINAE PHILOSOPHICÆ.

CAPUT PRIMUM.

De Ortu & Progressu Artis Medicæ, Medicorumque diversis Sectis.



CELEBRIS est Memoria Æsculapii, Podalyrii & Machaonis apud antiquos: quod divina & admiranda Medicæ artis potestate, infirmitatibus humanis consuluerint: quamvis incertum sit, qua medendi methodo & lege usi fuerint. Primus Hippocrates inter eos quorum memoria ad nos pervenit, declaravit artis suæ Principia, prædictionum & curationum causas ac modos aperuit, observationesque medicas summa fide & diligentia posteritati reliquit. Artem verò medicam ante se inventam fuisse, testatur ipse in Juramento, ubi filios præceptorum suorum, à quibus hanc artem didicit, se fratrum loco habiturum jurat. Vixisse quoque iisdem temporibus alios Medicos, qui ex hypothesibus dissimilibus & longè diffidentibus, morborum causas & curationes deduxerint, constat ex multis locis Hippocratis, in quibus adversus dictos Medicos, eorumque hypotheses disputat. Post Hippocratem, ad Galeni tempora, etsi plurimi intercesserint Medici, Asclepiades, Archigenes, Herophilus, Diocles, Erasistratus: eorum tamen memoria in obscuro est. Deprehendimus apud Galenum, & hos quoque, artem ad certa Principia revocasse, morborum causas & curationes, suis hypo-

thesibus consentaneas, constituisse: ut Empiricorum cœtus sileam, qui omnibus temporibus, & ad hæc usque nostra secula, celebres fuere. Hoc vastum Medicinæ pelagus, & tantam Medicorum confusionem, Galenus in ordinem revocare conatus, posteaquam deprehendisset Præceptores suos, persuasionibus & probabilibus conjecturis artem tradidisse: non contentus vaga & mobili hypothesium congerie, ex quibus opiniones & fallaces operationes, magis quàm Scientiæ & efficaces actionum processus resurgunt: indefesso studio, curis & peregrinationibus, certas Demonstrationum leges diu quæsivit: & tandem Geometricorum scholas accedens, Demonstrationes exquisitissimas deprehendit. Harum copiam & facultatem, brevi comparatam, ad Medica theoremata magna facilitate accommodavit. Itaque Geometricorum more, Principia, & Axiomata artis suæ constituit: omnia oriri ex quatuor Elementis: misceri Elementa certis ponderibus & mensuris: symmetriam Mixtionis, sanitatis productricem, ametriam morborum & mortis: Rerum omnium actiones & virtutes ex Elementis prodire, & Formam specificam, vel proprietatem essentialem uniuscujusque rei, ex certo Elementorum congressu derivari. Contraria contrariis curari, calidum frigido, humidum sicco. Secundas qualitates, ex primis mirabiliter deducit. Quatuor humores Elementorum qualitatibus primis & secundis insignitos adjunxit: ex quibus subtilitate compendiosa, morborum omnium elementalium, symptomatum curationumque causas & modos deduxit. Hac artis facilitate allecti quam plurimi, ut sunt humana ingenia à sudore ad otium plus justo prona, neglectis aliorum placitis & medendi rationibus, unum Galenum totius Medicinæ Ducem & Monarcham constituerunt: ejusque scripta in ordinem & novas Centurias redegisse, honori fuit. Adjecerunt postea Arabes observationes, & remedia quædam Galeno incognita protulerunt. Nostra ætate nova morborum cohors, & antiquorum remedia in morbis nostris irrita & vana, magnas in arte medica peperere controversias: dum unusquisque ex Galenicis Principiis & tot seculis custodita ac quasi per manus tradita Methodo, tam insolentium Symptomatum, & cedere non volentium morborum, causas & curationes eruere conatur. Itaque paradoxi morbi, paradoxos Medicos peperere. Fernelius ad totam substantiam confugit, vel proprietatem occultam, ut & alii quamplurimi: sed Principia, Methodum, & curandi leges à Galeno positas, amplexus est, novos hos morbos solis alexiteriis & occultis remediis empiricè curandos asseverans. Singulorum

gulorum placita accuratius rimari, nostri non est propositi. Satis fuerit, famosiores Sectas, & eos qui fata Medicorum hactenus in Orbe gubernarunt, nominasse. Qui plura Medicorum genera cognoscere voluerit, Plinium & Historicos consulat. Quod ad altiores attinet Medicos & Philosophos, qui diviniore artis origine, potentioreque medendi ratione usi sunt, quia mortalium consuetudine neglecta, solitudines quæsiverunt, famæ popularis egregii hostes, Commentariaque reliquerunt, obscuritatum & ænigmatum plena, apud vulgus ac populares mortalium cœtus, memoriam famamque in totum amiserunt: quo fit, ut Historicorum Annales effugerint. Semen nihilominus immortale, & perenni multiplicatione in ævum duraturum, reliquerunt. Horum vestigiis insistens THEOPHRASTUS ille PARACELSUS, nostris temporibus universam Medicinam immutavit. Elementorum naturas & conditiones longè diverso modo exponens, Generationum ac Transplantationum doctrinam cumulatè clareq;proposuit. Astronomiæ vitalis Methodum revocando morborum Generationes & Transplantationes aliis Mechanicis adscripsit, repudiata humorum familia. Horum loco Mineralia introduxit, corporaque omnia ex Mineralibus constare authoritate mundanæ Anatomiæ, demonstravit. Indicationes curandi, novas planè, sed magna latitudinis potestate explicatas, adjecit, & cætus omnium Medicorum, inexpectata hac artis innovatione, tædio, pœnitentia, ira & confusione replevit. Etenim qui in Galeno nunc consenuimus, artisque operibus fidem theorematum, quantum fieri potuit, stabilivimus, difficulter ab opinione antiqua dimovemur. Quoties meram bilem vomitione rejectam conspeximus? secta vena, discrimina humorum animadvertimus? frequenti Anatomiæ inspectione, partium humani corporis situs, figuras, consensus, substantiam, usus & actiones didicimus? repletis evacuationem deberi, alterata in contrarium mutanda, naturali sensu cognovimus? His in hunc modum comprehensis, magna artis laude vertiginosos capitis affectus ex ventriculi consensu, febres, ictericias, viscerum obstructiones, pilulis ex hiera simplici, alephanginis, cochiis cum elleboro, diaphœnicone, diacatholicone, &c. sustulimus digestione præmissa cum syrupo de betoica, stœchade, oxymellite simplici & composito, ex mandato Hippocratis jubentis ante purgationes fluida facere corpora. Quoties venæ sectione, immanissimos dolores, inflammationes sævissimas, ardentissimasq; febres jugulavimus? Hæc & hujusmodi ex hypothesibus nostris deducta, mirum in modum nos confirmarunt. Ga-

lenicaque decreta irrefragabilia esse stabili authoritate persuaserunt. Præterea, quis non tam fœcunda Hippocratis oracula, ex quibus hæc omnia, interpretante Galeno, & ad suas leges ac Methodos revocante, fluxisse constat, veneraretur? Jubet enim concocta medicari non cruda, neque in principiis: interdum pharmacandum, scilicet, in valde acutis, etiam eodem ipso die, si materia ad excretionem provocarit: tardare enim in talibus perniciosum. Concoctiones crisis & salutis esse indices, cruditates verò ubique suspectas. Quæ purgare oportet, quò maximè vergunt, eò ducenda, locis & viis utiliter eò ferentibus. Hæc & similia, opinionem tot seculorum memoria conservatam, custodiunt ac tuentur, repudiatis hæresibus tam recentibus quam antiquis. Aristotelica quoque principia & Philosophica, Galenicis domestica sunt ac consanguinea, ab uno eodémque fonte deducta: Iliadi Anatomiam Geometricis partitionibus adaptare conantur. Vehementer quidem urgent & persuadent hujusmodi rationum momenta: *sed rursus in magnis morbis & difficillimis, desperata esse omnia remedia, tam Arabum quam Græcorum, adeóque morborum ludibria: vanas esse indicationes, & Analogismos, vetularum & empiricorum absurdis remediis frequenter cedere.* Spurios quoque & adulterinos Theophrasteos, qui fucatis nominibus Theophrasti remedia se usurpare jactant, in multis magnis morbis Galenicos superasse constat: quamvis incertam & periculosam eorum medendi rationem non approbem. Ex hac Sectarum diversitate, opinionum rationumque confusione, ac remediorum medendique via lubrica & incomprehensa, si quis eluctari potuit, plenum humanitatis fuerit, aliis opem tulisse, quibus in tam procelloso mari, naufragii periculum imminet. *Nec eorum judiciis standum, qui uni Sectæ addicti, aliorum inventa in universum rejiciunt. Frugibus inventis glandes devorare velle, turpe est: turpius, judicii libertatem servitute amisisse.* Nos, spreta mancipiorum turba, liberis & incontaminatis ingeniis, Medicinæ Philosophicæ Ideam proponemus, & Principia dabimus, ex quibus de Sectarum omnium veritate & vigore, justam censuram facere quis possit, meliora ac puriora eligere, spretis opinionum errorumque labyrinthis, utcunque nominum ἀκριβολογίᾳ methodica artis adumbratione, fraude fidem facere conentur.

Initio ipsius Medicinæ naturam, conditiones & proprietates declarabimus, longè alia ratione, quam hactenus in scholis usitatum fuit. Neque enim longa & tædiosa disputatione Lectorem fatigabimus, famosis illis quæstionibus: Sitnè Medicina scientia, vel ars: partim ne theorica, partim

tim practica : neque salubrium, insalubrium & neutrorum, ut nunc, tunc, olim, accuratas quidem, sed vacuas distinctiones adducemus. Longè aliam viam ingrediemur : nominibus relictis, quid sit Medicina, & quæ fundamenta habeat in Natura, scrutari consilium est. Hisce declaratis, officium Medici, & quæ in Medico requirantur, adjungemus. Tandem Medicinæ Ideam proponemus : conjungentes ea omnia, quæ ad cognoscendam humani corporis lithurgiam, usus partium, sanitatis & morborum originem, & ex altera parte, quæ ad Balsami naturalis, totius Creaturæ nuclei, ac morborum omnium Medicinæ unicæ & veræ, naturam cognoscendam, humanisque necessitatibus legitimè accommodandam, facere videbuntur. Postremò singula membra particulatim resecabimus: demonstrationes & mechanicam singulorum lithurgiam, qua possumus brevitate adjiciendo, finem hisce rudimentis & rerum primis adumbrationibus imponemus. Quòd si laborem nostrum candidis & æquis judiciis placuisse animadverterimus, brevi fœcundiora adjungemus : comitesque dabimus huic nostro fœtui, solida & inconcussa radice stabilitos.

CAPUT II

Quid sit Medicina, & quæ Fundamenta habeat in Natura.

QUi hactenus de re medica scripserunt, Medicinam esse artem, ad sanitatem humani corporis conservandam, morbosque abigendos, debitè omnia administrantem, dixerunt. Nos verò vulgares illas definitiones non quærimus. Majus est hoc quod in Animo versamus : *sit ne subjectum aliquod in Natura, materia quædam sensibus obvia, quæ debitè præparata & administrata, humanos languores auferre possit, adeoque Medicina rectè appellari, & artis appellatione insignire œconomia, quæ legitimam gubernationem, gubernatoremque artificem justè appellare.* Ita enim artes omnes mechanicæ, materiam à Natura accipiunt, cujus naturam, proprietates & conditiones omnes, exquisitè rimantur : qua præparatione, quibus mediis, quo mechanico processu, ad usus necessitatesque humanas optimè accommodari possit, magnis laboribus inquirentes : quibus inventis & perceptis, artem constituunt, artificesque

ceſque pariunt. Eſt tamen artium harum permagna latitudo. *Quædam* enim ſubjectis materiis dominantur, eaſque figuris formiſque animo conceptis, ad arbitrium veſtiunt, ut ſtatuarii, fabri, figuli, &c. *Aliæ*, quia occultiores materias tractant, nec ita ſenſibus manifeſtas, Naturæ potiores partes tribuendo miniſtrantes debita adhibent, Naturæ negotium & curam omnem concedentes: ut agricultura. *Nonnullæ* medio modo ſe habent, utriuſque beneficio, tam artis quam Naturæ negotium peragentes: ut vitrarii, aurifabri, metallicorum & mineralium ſeparatores. Hippocrates certè Medicinam inter eas artes retulit, quæ Naturæ gubernationem & imperium concedunt. Dicebat enim, *Naturas morborum medicatrices, Medicum verò miniſtrum*. Alii pares dignitates, & interdum Medico priores tribuere auſi ſunt: ſed laxa & ambigua valde Medicinæ ſignificatione, de elementalibus & ſemine interno productis morbis, Hippocratem locutum fuiſſe, non animadvertunt. Et nos, cum de Medicina hîc loquimur, non intelligimus, venam ſecare, luxatos artus reponere, mortua membra amputare, hernioſos & calculoſos ſectione ſanare: *ſed vitalibus & potentibus remediis, morbos illos radicales in corpore ex ſemine, auferre*. De Chirurgicis adminiſtrationibus, juſta ægrotorum diæta, exercitiis & ſimilibus dicturi ſumus, ubi ea attulerimus, quæ Medico neceſſaria ſunt. Mirabuntur hoc loco plurimi, nos in re tam facili horas conſumere: ſcripſiſſe Galenum, Dioſcoridem, Serapionem, Meſuen, copiosè de materia medica, & medicinarum facultatibus: certas quoque claſſes conſtituiſſe, ex quibus remedia eruerentur, ſcilicet ex Herbis, Mineralibus & Animalibus. Sed hac facilitate contenti nôn ſumus. *Etenim non tam remedia, quàm venena hiſce ordinibus contineri, unuſquiſque mecum fatebitur: & tamen medicamenta remediaque à plurimis hactenus appellata ſunt: perinde ac ſi ligna & lapides ſtatuarum nomine inſignirentur.* Galenus poſteaquam morbos ex intemperie introduxiſſet, ſimplici & cum materiæ affluxu, ſymptomatum manifeſtis injuriis animum adhibens, curationeſque alteratione abſolvi docuiſſet, & humorum vitia, ex quibus morbi derivantur, in copia, aſperitate, viſciditate, tenuitate, craſſitie, mollitie, cruditate, collocaſſet: his adverſa remedia, alteratis, calida, frigida, humida, ſicca: cauſarum vitiis, expurgantia, levigantia, attenuantia, incidentia, relaxantia, conſtringentia, coquentia, compendiosè oppoſuit. Saporum deinde beneficio, applicatione & experientia, hæc deſiderata remediorum genera, in Herbis, Mineralibus & animalium partibus, invenit: quamvis Empiricorum beneficio non omnia calida promiſcuè

miſcuè refrigeratis adhibenda eſſe didicerit. Animadvertit quoque, ex facultatum & actionum contrarietate, quæ in multis ſimplicibus manifeſtè deprehenditur, ſubſtantias diſſimiles & ſæpe contrarias proprietatibus inſignitas, in re una ſimplicique contineri: quamvis leviſſimè, quaſi per jocum hoc negotium attigerit. Et quia ſæpe, ferè ſemper in ſimplicibus remediis, adverſabantur facultates quædam intentionibus conceptis, ſive agendi poteſtate immodica, ſive ſaporum & odorum inſueta ingratitudine, ſive facultatibus in contrarium tendentibus: mixtione & compoſitione, cuncta obſtacula ſuſtulit: quæ deſiderabantur, adjunxit. Arabes ſacchari & mellis fœcunditate, univerſam remediorum amaritudinem in mirabilem dulcedinem transformarunt. Correctiones quoque novas violentorum medicamentorum, ſcammoneam cytoniis, colocynthidem lacte, helleborum radice raphani præparantes, attulerunt. Et tamen ſymptomatum violentiam, viriumque dejectionem deprehendentes (utcunque correctione venenum abſtuliſſe ſe arbitrabantur) Confortativa & Cordialia magna neceſſitate adjunxerunt. Horum farragine, pyxidibus ſuperba, quaſi victoriæ triumpho, univerſa loca repleverunt: rati, quod res erat, finem de operis abſolutione & perfectione judicare. Nec aliam medendi viam in ſcholis & aulis Principum hactenus receptam amimadverto. Quid enim ulterius ex opulenta Naturæ officina peterent, qui morbos, morborumque genitores, externis illis qualitatibus & mortuis ſuperficierum umbris, infelici errore aſcribunt. Sanari quidem hiſce remediis morbos nonnullos, methodoque adhibenda, concedo: ſed non eſſe veram & perfectam ſanationem, nec vera ſinceraque medicamenta, ex iis, quæ mox dicturi ſumus, manifeſtum evadet. Singula enim ſuis locis opportunè explicanda ſunt. Interea, ſi novitate inſueta Lectorem multa contradicere volentem offenderimus, veniam petimus: & ii petimus, qui bona fide pollicemur, nos contradictionibus illis, debitis temporibus etiam cum fœnore reſponſuros, & patientiæ uſuram plurimarum difficultatum explicatione compenſaturos. Etenim, ſi hoc loco, medendi varietatem remediorumque diverſa genera declarare vellemus, multa diſtinctione, & copioſa rerum ſupellectile, opus eſſet. Rectius id facturi ſumus, ubi morborum explicata natura, ortu & tranſplantatione, medicinarum quoque differentias adjungere tenemur. Nec tanta opus eſſet clientela, tot ſatellitibus, ſi vulgares has medicinas amplecteremur, neque potiora in Naturæ ſinu contineri arbitraremur. Quòd ſi hactenus jocosè egimus, nunc ſeriò dicemus, facultates omnes has,

has, calfacientes, refrigerantes, humectantes, exiccantes, abstergentes, incidentes, attenuantes, incrassantes, restringentes, attrahentes, & quod mirum multis videbitur, etiam purgantes, externas esse, corruptibiles, crudas, impuras, mobiles, infirmas; sæpe venenatas : quamvis benigna felicioris Naturæ, interni Solis, Mumiæ & Balsami permistione fruantur: cujus beneficio cohærent, in unam œconomiam conspirant, & effectus interdum producunt suæ naturæ limites plurimum excedentes. Hoc est illud Balsamum, Elementum, Semen, de quo dicebat Aristoteles, *Omnis animæ potestas, alterius cujusdam corporis particeps esse apparet, ejusque divinioris, quam quæ Elementa appellantur : & quèmadmodum nobilitate obscuritatevè Animæ inter se discrepant, ita & natura ejus corporis differt. Continet enim in se semen cujusque fœcunditatis suæ causam nempe ipsum calorem, qui igneus minime est, neque id generis facultatem aliquam æmulatur, sed spiritus qui in semine spumanteque corpore coercetur, & natura quæ in eo est spiritu, proportione respondet Elemento stellarum. Quamobrem ignis nullum animal generat, neque constitui quicquam densis, vel siccis, vel humidis videtur. At verò Solis calor & Animalium, non modò qui in semine continetur, verum etiam si quid excrementi sit, quanquam diversum à Natura, tamen id quoque principium habet vitale. Itaque dura, mollia, lenta, rigida, aspera, levia, caloris & frigoris vi effici possunt : at propria cujusque ratio & essentia, nequaquam ex Elementis emergit.* Hunc locum Aristotelis eo lubentius ascripsi, quia facilius ab iis persuademur, quæ consueta sunt: & rudimenta quædam habet conducentia ad noticiam illius Balsami, Elementi, Seminis, Mumiæ, quod ego pronuntio fundamentum esse totius Medicinæ, & morborum omnium medicamentum verum ac solum, modo debita præparatione, ab impuritatibus separatum, matura vitalique potestate ornatum, corporibus humanis adhibeatur. Et nisi hoc Semen in Natura nobis relictum esset, frustra morborum curationes aggrederemur : rectè caneremus incurabiles Podagras, Hydropes, Epilepsias, Lepras : amaritudinis pocula, magna ægrotorum anxietate Medicorumque tædio rectè misceremus, & cum Plinio justè dubitaremus, parens ne melior, an tristior noverca fuerit Natura homini. De hac materia, re tam nobili & necessaria, nihil apud Galenum deprehendimus: quamvis interdum totius substantiæ mentionem faciat, eximia actionum potestate adductus, confestim tamen correctione hac utitur, se totius substantiæ appellatione, nihil aliud significare, nisi certam quandam commixtionem calidi, frigidi, humidi, sicci. Fernelius palam fatebatur, *In Natura excellentius quippiam contineri supra vulgatas*

illas

illas Elementorum qualitates, & in errore verſari illos, qui omnium actionum cauſas iis aſcriberent : ſed rerum difficultate perterritus, poſt longa viarum tædia, in ipſo limine victoriæ adumbrata veſtigia poſuit : naturam, officia, proprietates & conditiones interni hujus Elementi ſe ignoraſſe, modeſta confeſſus eſt interpretatione. Occultas enim & abditas proprietates in hac familia contineri affirmat. Quòd ſi nova omnia inviſa ſunt, qui hanc materiam ſcrutantur, hujus Balſami officia & proprietates inquirunt, magna antiquitatis authoritate confirmantur. *Etenim hæc eſt illa natura, in qua ſeminaria rerum Rationes deliteſcunt, quibus Platonicorum Philoſophia triumphat.* Et niſi nominum invidia rebus infamiam pareret, dicerem hanc eſſe *quintam eſſentiam*, à nigris illis Philoſophis toties decantatam. Hippocratem ſi adduxerimus hujus elementi interpretem & teſtem, iraſcentur Galeniſtæ, ægre ferentes ſe tanto patrono orbari. Is in libello de Antiqua medicina, poſteaquam eorum hypotheſes repudiaſſet, qui caliditati, frigiditati, humiditati, ſiccitati, morborum cauſas & curationes aſcripſerunt, ſubjungit, πάντα ἀπὸ δυνάμεων γίνεσθαι. δυνάμεις *verò appellat acerbum, acidum, amarum, dulce &* παντοῖον. *Quod enim morbos producit, viribus & agendi poteſtate pollet. Non eſt, inquit, calidum & frigidum,* τὸ τὴν μεγάλην δύναμιν ἔχον, ἀλλὰ τὸ ϛρυφνὸν καὶ πικρὸν, *&c. Rurſus morborum curationes, non calefacientibus, refrigerantibus, abſolvi docet : ſed à Chærioniis qualitatibus,* ἀπὸ δυνάμεων : quod alibi repetebat, *Naturas morborum medicatrices affirmans.* Hanc Naturæ, δυνάμεων & caloris naturam ſæpe inculcat. In libello de Carnibus dicit, θερμὸν *divinum aliquid eſſe, omnia audire, intelligere & animadvertere.* Si puram & ab aliorum Elementorum permiſtione abſolutam Balſami naturam intellexerit, ignoro : certè proprietates ac ſignaturas ejuſdem, in Naturæ familia etiamnum habitantis, clarè expoſuit. Theophraſtus ille Græcus, Ariſtotelicæ Philoſophiæ alumnus, libro de Cauſis plantarum, hanc materiam attigit, appellavitque τὸ ἔμβιον τῆς φύσεως, *vitale principium in Natura, cujus virtute vivunt vigentque omnia* : cætera mortua ſunt. Theophraſtus verò Paracelſus, Germaniæ decus, multis nominibus fœcundum hunc Naturæ theſaurum ornavit : *Balſamum, Mumiam, Mercurium nominat* : *item Quintam eſſentiam, Arcanum, Elixir, Materiam perlatam, Mannam, &c.* Sed cur tam diverſa expoſitione, appellatione, officiorum proprietate, unius rei naturam, tot Philoſophi declaraverint, conſtabit, ſi ſingulorum intentiones, ſcientiis & inquiſitionibus ſubjectis accommodatas ad incudem revocaverimus. Platonici conſiderantes continuitatem hujus mundi cum Archetypo, deprehende-

henderunt materiam quandam fœcunditate Rationum ab Animâ mundana conceptarum, gravidam: cujus ministerio explicarentur ac statis temporibus prodirent, quæcunque sinu superioris Naturæ, quieto silentio antea continebantur: atque hac ratione seminalem naturam tanquam seminum conservatricem & propagatricem appellaverunt. Aristoteles & Theophrastus generationum causas & modos inquirentes, tam ordinatas Naturæ propagationes, conformationes & conservationes admirati, animadvertentes neque Elementorum qualitates, tam augustis officiis satisfacere posse: quamvis magna fœcunditate plurimarum mutationum rationes antea explicassent, *præstantiorem quandam materiam, potentioribus signaturis & qualitatibus ornatam in Natura contineri, confessi sunt: quæ mobilem & momentaneam Individuorum naturam stabili Specierum conservatione, ab interitu tueretur, diviniorisque Naturæ participatione Rationum ordinatas signaturas in generationum liturgia dispensaret.* Rectè igitur Theophrastus, vitale Naturæ principium appellavit, quod cæteris omnibus Elementis vivendi facultatem suppeditet. Planius Aristoteles: quid mirum? præceptore usus est Platone, facultates Animæ generationi dicatas in corpore quodam habitare dicit, non turbidis externorum Elementorum qualitatibus contaminato, *sed puro & divino: corporaque hæc inter se differre, subtilitate, puritate, tenuitate, crassitie, mobilitate, secundum facultatum, quas participant, conditiones & gradus.* Deinde hoc corpus ab œconomia complexionum ac qualitatum absolvit, nec caliditate, nec frigiditate, nec humiditate, nec siccitate, nec ullis ejusce modi Rellollacei squaliditatibus vestitum, præter omnem Galeni expectationem, asseverans. Spiritum quoque dixit, ob subtilitatem & miram agendi velocitatem. Certè, vocabulorum ἀκριβολογίαν hoc loco neglexit, dum rem unam eandemque, spiritus & corporis appellatione donavit: philosophicè tamen locutus est. Illi enim spiritualia corpora & corporales spiritus longè antea receperunt. Quin etiam excrementa Animalium hoc vitali Principio perfusa esse animadvertit: viventia enim producunt. Postremo, essentiam, propriamque uniuscujusque rei rationem, in quibus tota actionum potestas viget, huic corpori attribuit. Hæc decreta à Fernelio quoque recepta sunt: sed verebantur ne materiæ & corporis appellatione, tam nobilem contaminaret Naturam. Ideoque totam substantiam, formam substantialem nominavit Hippocrates causarum naturalium, ex quibus actiones fluunt, discrimina contemplatus, deprehendit nonnullas, tam in generatione morborum, quàm in curatione, languidas esse, infirmas,

firmas, ſine impreſſione fixa & vitali : ut ex labore vel Solis æſtu productas Ephemeras : item, catharros ex frigidiore cœli occurſu : & corporum alterationes, quæ caliditatis, humiditatis, frigiditatis, ſiccitatis miniſterio perficiuntur. Aliàs virium ac facultatum valida poteſtate vigere, ex quibus impreſſiones fœcundæ, vitales, & ſolida radice conſtantes procederent. Illis neglectis, his, morborum generationes, ut & aliarum rerum omnium ex terra naſcentium exordia, invicta veritate aſcripſit. Quia verò ſaporum inſignes differentias, hiſce materiis adjunctas cernebat, ex eorum familia nomina mutuatus eſt, dulce, acerbum, acidum, amarum, &c. Illud eſſe quod valida poteſtate præditum ſit, affirmans. His curationes & ortus morborum abſolvi docet. Et quamvis puram Balſami naturam non expoſuit : propè tamen acceſſit, remediaque conſtituit, quę nos poſthac Specifica cruda appellabimus in remediorum expoſitione, ubi hæc omnia copioſius clariuſque explicabuntur. Secretiores Philoſophi, qui Hermetem ſecuti, impuritatem à puro ſeparare didicerunt, corruptibilem & fœdam ſuperficialium Elementorum naturam animadvertentes, puriorem illam cryſtallinamque materiam, quintum Elementum, Eſſentiam, Balſamum, Materiam perlatam, & mille hujuſmodi nominibus appellarunt. Sed quid Philoſophorum decretis ſecuri inſiſtimus? Cum iis negotium nobis eſt, qui de his rebus ne per ſomnium quidem hactenus cogitarunt. Igitur exemplis ex naturæ officina deſumptis, docendi ſunt, *in ſingulis rerum ordinibus, quæ Elementorum ſinu foventur, contineri Naturam quandam radicalem, vitæ Principium, actionum fontem, fœcunditatis authorem, Generationum, Tranſplantationum, omniumque naturalium actionum moderatorem* : hujus beneficio Elementa repugnantia concordi mixtionis lege ligari, & digeſtis temporibus, corruptis ac conſumtis dictis Elementis, remanere nihilominus in hac materia vitæ Principium, Radicem, Speciem & Semen rei : tanta poteſtate vulgatas Elementorum qualitates excedere. Sic herbarum Balſamus, Mumia, Radix, Elementum, quomodocunque appellare libuerit, non in alimentario humore quo perfunduntur, deliteſcit, nec in fœculentis & craſſis ſordibus : ſed in excellentiore quadam humiditate deprehenditur, quæ magna fortitudine externis injuriis impreſſionibuſque reſiſtere ſolet, & reliquis Elementis admixtis corruptionem ſubeuntibus, etiamnum viget, ac Specierum ſignaturas inviolatas, ad novorum Individuorum procreationes conſervat, in hac Roſa hyeme habitat. Neque in omnibus plantis iiſdem ſedibus conſentanea naturæ ſuæ domicilia quæſivit:

vit: sed longè diversis, pro Specierum diversitate. In quibusdam enim radicem invenit habitationi accommodatam: in aliis stipitem: in nonnullis semen ipsum. Interea universam totius plantæ œconomiam, sua benignitate perfundit: nec quicquam est, vel in radice, vel foliis, vel stipite, quod ipsius præsentia vitali destituatur: quamvis recipientium diversitate, participationes contingant longè lateque inter se differentes. Quemadmodum autem in Animalibus ex universo corpore semen confluere prodiderunt Philosophi, quamvis in testiculis, & partibus Generationi dicatis, elaborationem, maturitatem & absolutionem primùm consequatur: eodem modo, omnes plantarum partes, semine vitalique hoc Sulphure gaudent. Nihilominus in quibusdam quæ testiculorum vicem gerunt, præparationem & maturitatem, semini necessariam consequitur. Ita enim digestum plurimis injuriis externis resistere potest. Qui hujus corporis differentias, proprietates & conditiones exquisite cognoscere voluerit, rei rusticæ Scriptores consulat, & Generationum ac Transplantationum varietate comprehensa, magna rerum authoritate copiaque confirmatus, fatebitur universa Naturæ fundamenta contineri in hoc Balsamo, vitali Sulphure, radicali humido, Semine, Mumia, prima Materia, jam satis est: nec enim sufficiunt nomina, ad dona tam divitis Naturæ declaranda. A Plantis ad Animalia digressi, similem materiam etiam Philosophorum testimoniis confirmatam, deprehendimus: quamvis subtilitate & materiæ tenuitate, à plantarum Balsamo plurimum differat. Immortalitatis superbam spem faceret, si corporum solidorum & fixorum conjugium, facultates tam nobiles non repudiarent. *Hoc est illud Innatum calidum, quod in crescentibus plurimum esse pronuntiavit Hippocrates.* Galenus Concretorum & Abstractorum subtilitate, mentem Hippocratis se assecutum falsò putavit: calido abundare adolescentes, non calore, affirmans. At verò Hippocratis Innatum calidum æquivocum planè est, si cum calore & reliquis Elementorum qualitatibus comparentur, proprietate, natura & toto genere diffidens: tantum abest, ut ex commixtione & phantastica quatuor Elementorum complexione, originem suam ducere velit. Huic lithurgiam totius Animalis asscripsit Hippocrates: Facultates omnes, etiam diversissimas, locis temporibusque consentaneis, hujus beneficio absolvi prænuntiavit: Crises quoque & salutares concoctiones, ab eodem proficisci, constanter asseveravit. Si quis admiretur tantam officiorum varietatem tot nominibus insignitam in unam eandemque materiam vel naturam confluxisse,

xisse, scholas Philosophorum accedat, vel nostris patienter se accommodet arbitriis. Scimus enim opportunitatem, loca & tempora novimus, ubi votis ac avidæ ipsius expectationi satisfaciendum sit. Interea beneficii loco adjiciemus, *Balsamum hoc animale, universam corporis Anatomiam occupare, & pro diversa Tinctura, Impressione, Confluentia, quam diversis locis recipit, diversas quoque producere actiones*. Itaque si partes occupaverit mobiles, motum ciet: si sensibiles, sensum: alibi concoctiones, excrementorum separationes, alimenti distributiones, nutritiones, moderabitur: hic fœcunditatis memor, Tincturas admittit & præparationes Generationi necessarias. Quod si vivendi errore, noxium aliquid latenter ipsius Provinciam occupaverit, omnibus collectis viribus, Providentia insigni, hostem, nunc confestim aggredietur, nunc decreta digestaque tempora expectabit concoctionesque molietur, quibus absolutis, sine sudore & sanguine triumphum aget, debilitata paulatim in naturalem statum reducens: fortiore verò hoste, validioribusque satellitibus Provinciam occupante, ut suorum Civium ministerio abigi non possit, multa prius moliens succumbet, Medicorum ope frustra implorata. Præterea hoc est illud Balsamum, quod pro sale corpori datum ne putresceret, à Philosophis accepimus. Et quid aliud est *Mumia balsamita, conservans mortale corpus à vermibus? Mineralium quoque classes validissimum obtinent Balsamum*. Solidam enim & homogeneam propemodum materiam occupavit, nec sensui, nec motui, in his, servire debuit. Itaque perfecta quædam Individua hic absolvit, quæ copia & puritate Balsami munita, non annorum longa serie, senectutis incommoda admittunt, nec ullis externis injuriis labefactantur. *Vivunt quoque*: quamvis corporum compedibus implicata, vitales actiones depromere non possint: nihilominus si in actum reducantur, mira actionum virtute vitales qualitates demonstrant, usque adeò, ut *vitalium qualitatum differentias, ex quibus actiones omnes proficiscuntur, ad horum ordines reduxerit PARACELSUS, nominaque plurimarum rerum inde desumpserit*. Diversa quidem proprietate insignitum semen obtinuerunt. Individuorum enim propagatione non multiplicantur. Altioribus parentibus ortus sui primordia ascribunt, qui natorum mobilem Rempublicam non ingrediuntur: quo fit, ut à plurimis vita penitus carere existimentur. At certè vitæ manifesta indicia illis sæpe demonstrarunt, qui illorum officinas diligentius scrutati sunt. *Crescunt enim, maturitatis tempora habent, nutriuntur, excrementa pariunt, quæ potentibus paroxysmis sæpe rejiciunt, magno Metallicorum pavore*:

alia paulatim in superficie relinquunt. Et quid verbis opus est? *quæcunque saporum & odorum valida facultate prædita sunt, ea quis mortua pronuntiabit?* Vitarum discrimina sunt & gradus, ut & Balsami hujus vitalis: nec omnia manifestè vivunt. Quod si Philosophis credimus, *quæ manifesta vita fruuntur, ex iis componi videbimus, quæ occultè quondam vixerunt.* Hactenus in Plantis, Animalibus & Mineralibus, vitale Principium, Balsamum, Semen, inesse demonstravimus, actionum omnium fontem & principem, in quo omnis omnium morborum Medicina viget, si tamen debita separatione & ab impuritatibus, & externorum elementorum commixtione expeditum, pura simplicique natura, humanis corporibus exhibeatur. Arbitrantur multi, materiam hanc seorsim haberi non posse, spiritualem enim esse, invisibilem, cœlestem, occultam, Rationi magis quàm Sensui subjectam, & corporis ac materiei appellationem huic Naturæ accommodatam animadvertentes, horrore ac confusione repleti, conqueruntur universam Prædicamentorum doctrinam, scientiarum omnium fundamentum turbari, & inverti: Qualitatibus Substantiarum nomina magna temeritate accommodari: Abstractorum & Concretotum discrimina negligi. Alibi hanc Nominum intemperiem & ulcerosam Prædicamentorum dispositionem, ad sanitatem revocavimus, non sine sævo Chirurgiæ ministerio, hoc loco res ipsas scrutari consilium est. Itaque Naturam hanc spiritualem esse dicentes, rectè sentiunt. Impressiones enim validiores, velociores, penetrationum potestas, illæsis dimensionum legibus, fuga vel volatilitas, si placet, spirituum & corporum discrimina conficiunt. Sed docendi sunt reciprocam esse horum naturam: ex spiritibus corpora produci, & rursus corpora in spiritus resolvi. *Præterea, ut corporum, ita spirituum quoque magnam esse latitudinem: adeò ut sæpe inter se collati spiritus crassiores, corporis appellationem meritò sortiantur: & corpora similiter penetratione alteratione que vigentia, crassioribus collata, spiritus nominentur.* Harum rerum contemplatione neglecta, quoties actionum potestate vigentium, causæ inquirendæ sunt, ingenii volatilitate, ad cœlos ascendimus, spiritus & cœlestes qualitates ad hæc nostra deducimus: scilicet, quod in manibus est non aspicientes, qua audacia cœlestia intueri sustinemus? Dico enim, non solùm spiritualem esse hanc materiam quam in familia Herbarum, Animalium & Mineralium, antea contineri diximus, sed etiam cœlestem: & quod mirum multis videbitur, etiam *Astra nobiscum habitare, ac Astronomiæ suæ leges inviolatas conservare, modò externis injuriis non impediantur. Hæc sunt Astralia illa corpora, qui-*

bus

bus abundat Philosophia PARACELSI. Rursus invisibilem quoq; esse confiteor. Nuda enim mortaliũ cœtus non ingreditur: sed vestimenta habet, quibus se tuetur ab inquinato Mortalium intuitu. Nihilominus affirmo, invisibilia vestimẽtis detractis, visibilia reddi posse, occulta manifesta, quieta mobilia, &c. *Et quamvis animale Balsamum, subtilitate spirituale antecellat, neq; fundetur in materia actionibus Artificum subjecta*, non sine summa Creatoris Providẽtia: *Plantarum tamen & Mineralium Balsamum tractari potest.* Hac ratione adductus PARACELSUS in Archidoxis Præparationum pronuntiavit, ex Animalium officina nec Quintam essentiam, nec verum Balsamum derivari: causam latenter antea assignavimus: quæ ex illis proficiscuntur, ut ex Mumia, sanguine, medullis, pinguedine, ad Vegetabilium ordines referri debere. Qua subtilitate & proprietate animalis Balsami, deceptos fuisse illos arbitror, qui nullam talem materiam, qualem hactenus descripsimus, haberi posse affirmarunt. Decuisset Philosophos, non ad pauca respexisse, sed universam Naturæ latitudinem contulisse, ac tum demum de rebus judicium fecisse: deprehendissent utique magnam Balsami varietatem, & admirando Naturæ mysterio decretum, ut quæcunque rerum genera actionum divinitate vigerent, quia in iis, actu plurima explicata esse actionum instrumenta oportuit, non potuisse similarem, solidam & stabilem Balsami materiam admittere: qua fruuntur illa, quæ obscurè vivunt: quæ sexuum discrimina vel occulta vel nulla ostendunt, quæ varietate officiorum sensibilium & mobilium non distrahuntur, atque idcirco materiam exhibent Artificum arbitriis subjectam, qui hermaphroditica hujus Balsami natura freti, Generationes & Transplantationes miras administrant. Ipsa quoque Natura demonstravit, *in corruptionibus rerum fœcundis, servari posse Balsamum Naturæ Semen, vitale Principium, Mumiam primam Materiam* (vilis est annona nominum in tanta rerum fertilitate) *utcunque Elementa admixta, cortices, impuritates & faces dissipentur.* Sic, granum quod terræ committitur, putrescit, resolvitur, perit: radicalis tamen servatur humiditas, in qua totius seminis Anatomia & potestas viget, novaque revolutione in mundanam scenam progreditur, ac corpus novum sibi fabricat, officiis destinatis acommodatum. Si natura per se separationes hujusmodi absolvit, quanto magis Artis beneficio adjuta? In Mineralium Metallorumque familia, ob supremam Balsami efficaciam, & similarem Naturæ conditionem, testimonia manifesta puri perfectique hujus corporis posuit. Aurum enim, argentum, gemmas produxit, Individua planè perfecta, & ab impuri-

impuritatibus externis separata. Quamvis & illa quoque compedibus, sed non communibus detenta, vires suas exerere non possint: in actum ex potentia, debita resolutione reducta, actiones ostendunt divinas. Si purum ab impuro, tam perfectè, solius Naturæ beneficio in his separatum conspicimus (una enim ab initio massa continebantur cum Sulphuribus, Salibus, Plumbo, Stanno, Ferro, Ære) artis opportunum ministerium si accedat, quid non futurum sperabimus? Quòd si hujusmodi arcana Balsami, ante oculos ponerentur, longa rationum serie opus non esset. Possemus quidem, si non suprema, nonnulla tamen, nec infima, demonstrare: sed promissiones servitute obligatas fugimus. Satis hoc tempore factum arbitramur. Fontes enim aperuimus, & thesaurum absconditum, interpretatione, quantum fas erat, palam fecimus. Subductis rationibus rerumque collecta multitudine, summatim concludimus: *Medicinam omnium morborum ab Altissimo creatam esse, & in natura collocatam, quæ debite præparata, & ab Elementis impuritatibusque admixtis separata, potestate & vitali robore universos humani corporis languores auferre potest: Idque non calefaciendo, refrigerando, humectando, siccando, non abstergendo, incidendo, penetratione, sed longe altiore actionum proprietate: fundarique in vitali principio, Semine, Balsamo, Vegetabilium, Mineralium & Animalium: cui omnium actionum in natura principium acceptum referimus: adeoque legitimam hujus Naturæ præparationem & administrationem, Medicam constituere Scientiam, & Medicos rectè appellare.*

CAPUT III.

Quod sit officium Medici, & quæ in Medico requirantur.

POsteaquam Medicinæ fundamenta in Natura contineri demonstravimus, haud difficile fuerit Medici officium explicare. *Etenim si materiam habet in Natura positam, cujus beneficio morborum curationes & sanitatis custodia absolvi possunt, hujus materiei differentias, conditiones, proprietates, præparationes, & debitas administrationes imprimis investigare debet.* Ita enim reliqui Artifices, materiam à Natura acceptam promovent, artificiosa præparatione supervacua rescindentes, imperfecta ad absolutionem ducentes, formas, figuras

&

& signaturas introducentes humanis usibus accommodatas. Et turpe est Medicorum industriam, hac parte ab Artificibus superatam esse. Quid enim non experiuntur, quos labores, vigilias, ærumnas non sustinent, ut conditiones, proprietates & præparationes subjectarum materierum exquisitè ac penitus investigent? Itaque in annos & secula proficiunt, professionumque suarum limites magno honore amplificant. Quibus vestimenta curæ sunt, tædiis & molestiis ablatis, quantas commoditates adjecerint, quis non videt? Culinarii, Pistores, Coqui, quantum profecerint, testis est Hippocrates, qui libro de Antiqua Medicina, profitetur, initiò mortales ferino victu usos, morbis & calamitatibus frequenter implicatos, præparationes ciborum necessitate quæsivisse, quibus inventis felicius vixisse. Ac ne sordidas quispiam arbitraretur has artes Philosopho indignas, Antiqui inventionem ac authoritatem earum Diis ipsis ascripserunt. Ego certè unicum Panificium, omnibus Modalium subtilitatibus & jejunis Prædicamentorum digestionibus antepono. Eadem sedulitate Fabri ferrarii, Lignarii, Aurifabri, Metallicarum rerum periti, artium suarum rudimenta promoverunt. Medici verò materiam, in qua omnium actionum, curationum & conservationum causæ delitescunt, intactam propemodum reliquerunt, neque pro subjecta materia agnoscere voluerunt. Etenim non morbos & remedia, sed humanum corpus, artis Medicæ subjectum esse, magno errore pronuntiaverunt. Longè aliter se res habet. Dico enim, *non solùm morbos & remedia, sed etiam humanum corpus vitalibus actionibus praditum, Anatomiam & naturæ suæ principia habere in familia Balsami & radicalis illius materiei.* Hanc materiam tractare oportet Medicum, omni sedulitate proprietates, differentias & conditiones explorare. Ita enim inveniet Facultatum origines, quarum ministerio sanitas actionum integritate conspicua conciliatur. Videbit etiam Morborum exordia, Symptomatum causas, Remediorum diversitates, & agendi modos, Præparationum quoque leges, quod summum est. Hæc universa, quia Naturæ beneficio administrantur, in vitali quadam materia fundari & radicem habere necesse est: alioqui levissimo momento evanescerent, nec propagatione, potestatem & fœcunditatem naturæ suæ demonstrarent. Conquerentur plurimi, nos obscuritate manifestam artem obruere: novam inauditamque Facultatum & Causarum Anatomiam introducere. Se toties humani corporis Anatomiam conspexisse: partium situs, substantias, conformationes, meatus, consensus animadvertisse: atque hinc multa artis officia didicisse. *Hanc certe*

certe administrare oportuit: sed alteram non neglexiße. Hæc mortua est, altera vitalis. Non enim ex partibus & corporibus actiones procedunt, sed ex facultatibus partibus inhærentibus. Difficilior certe est vitalis Anatomia. Multis enim instrumentis ad sectionem indiget: nec unius Individui Analysi contenta, copiosam rerum familiam ad examen ducit: ubi externorum sensuum testimonia non sufficiunt, sed occultiores, fideliores, constantioresque testes provocantur. Itaque qui hanc Anatomiam aggredi voluerit, inprimis Seminis naturam & proprietates explicare debet: Elementorum conditiones & officia, Generationum, Mixtionum, Transplantationumque modos ac authores, Astronomiæ leges, separationes puri ab impuro, maturationes crudi, amaritudinis correctiones. Neque particulatim ista scire satis est, sed per universam Naturæ latitudinem, singula explicare oportet, & semina Cœlestia, Terrestria, Aërea, Aquatica, æquè cognoscere: Melissam cœlestem, Plejades terrestres, Chelidoniam aquæ, Vitriolum terræ, Gamandream aëris, Mannam terræ: & infinita hujusmodi. Astronomiam quoque cælestem cæteris Elementis accommodare oportet. Hæc sunt ea officia, quæ nos in Medico requirimus: difficilia quidem, sed non incomprehensibilia. *Si enim in Natura condita collocataque sunt, Rationes quoque in Anima, necessitate inevitabili habebunt*: quas suscitabit, in lucem proferet, qui diligenti assiduaque Naturæ inspectione, analogiam proprietatum, & seminum differentias didicerit. Quantum ad mores, vestitus, sermones Medico convenientes attinet, supervacaneum est multa præcipere. Etenim qui tantarum rerum contemplationi totus incumbit, si assiduitate & diligentia, non sine Numinis beneficio, superatis umbris, ad præclaram illam Rempublicam ascendere potuerit, mores quoque proferet Reipublicæ suæ consentaneos, nec artis infidelitate, fallaces eventus expectando, sermonis ornatu, morum majestate, superbo corporis habitu, quod desideratur in Arte, externis illecebris resarcire conabitur: Quicquid præceperimus, matrona meretrici dispar erit. In Chirurgicis quoque administrationibus, quæ manuum dexteritate perficiuntur, ut in repositione luxatorum artuum, deligatione congrua fracturarum, venarum sectione & incisione, versatum esse oportet. Turpe enim est præsenti Medico, desiderari ministros Medicinæ. Et in sanguinis missione sæpè mora nocuit: nec venas oportunas secare possunt communes Chirurgi. Diætæ leges justissime moderabitur, qui remedia opportuna adhibere potuerit. Numerosa officiorum multitudine triumphant, qui difficultate primorum & prin-

principalium officiorum perterriti, subterfugia quærunt, & inscitiæ patrocinia. Nos officium Medici, potestate magnum, brevi verborum supellectile complectemur. *Quia actionum omnium naturalium fundamenta, in Materia illa radicali, Balsamo & vitali Sulphure continentur, debere Medicum, proprietates, differentias, præparationes, & administrationes hujus Naturæ, omni sedulitate, cura & diligentia investigare : idque analysi supra dicta.* Hæc brevitate obscuritatem ostendunt : sed in sequentibus capitulis copiosius clariusque proponentur, dum particulatim singula resecabimus, quæ hîc universim proposuimus.

CAPUT IV.

Universalis totius Medicinæ adumbratio.

MEdicæ Artis amplitudo magna est. *Universam enim harmoniam totius Creaturæ contemplatur* : Elementorum dispositiones, temporum status vicissitudines, Generationum & Transplantationum leges, quæ naturam mundanam continent ac conservant tanquam bases & fundamenta humanæ naturæ, sedulo inquirit. Astrorum ortus & occasus, & Planetarum periodi certis temporum intervallis definitæ, congressus, oppositiones, impressiones quoque & effectus qui hinc inferioribus Elementis imprimuntur: cometarum origines, Ventorum, tonitrui, fulminum, pluviarum, roris, pruinæ, &c. Oceani æstus, & reciprocationes, Terrarum diversitates, Plantarum discrimina, Metallorum, Mineralium ortus, progressiones & desperationes, Animalium naturæ, gignendi modi, multorum Philosophorum vigiliis investigantur : dum unusquisque ex hac rerum amplitudine, particulam sibi desumit seorsim excutiendam, ratus unius hominis ætatem & ingenium, ad tantæ Provinciæ dispositionem comprehendendam, nequaquam sufficere. Medicus verò indefesso studio, universam totius Naturæ Oeconomiam solus scrutatur : Astronomorum & Astrologorum decreta examinat : Meteorologicorum, Physicorum & Herbariorum rationes colligit : Agriculturæ proceres & Metallicarum rerum peritos consulit, experientias ac observationes eorum addiscit : Animalium naturas sedulò inquirit : atque hæc omnia Principiis, Elementis, & certis

Generationum & Transplantationum legibus includit. Hisce perceptis ad humanam Rempublicam descendit, & divina quadam Analogia, majoris Mundi dispositionem tanquam parentis, Microcosmo accommodat, *Elementa constituit humanæ naturæ consentanea: in his Semina foveri & Astra, cœlestia, aërea, aquatica, terrestria demonstrat*: quæ digestis decretisque temporibus, fructus producunt sanitatis vel morborum nuncios. *Itaque Planetas in corpore distribuit, Solem, Lunam, Saturnum, Iovem, Martem, Venerem, Mercurium*: & stellas similiter, Saturninas, Joviales, Martiales, Venereas, Mercuriales, Solares, Lunares: motuum leges addit, & statas temporum vicissitudines: Novilunia, Eclipses, Aspectus humanæ Astronomiæ, & horum effectus exponit: demonstrans, *fulmina, tonitrua, grandines, pluvias, calores, frigora, siccitates* (quæ in mundana Anatomia fructus sunt Elementi Ignis & Astrorum) *in nobis esse Febres, Epilepsias, Hydropes, Catarrhos, Paralyses, Apoplexias*, &c. Aërea quoque Astra in nobis habitare profitetur similesque effectus producere, sed languidiores. Nam & ea Meteora quæ ex Elemento Aëris proficiscuntur, non ea vigent potestate, qua cœlestia. Rursus *Aquarum Generationes in homine declarat: aurum, argentum, stannum, ferrum, plumbum, cor, cerebrum, pulmones, hepar, ventriculum appellat.* Mineralium separationes, *lepram, elephantiasin, alopeciam, pruritum, scabiem, morphœam, cancrum, astiomenum nominat, quod* alibi vitriolum *alumen, nitrum, sal gemmæ, colchotar, tartarum, dixit.* Postremo terrestem œconomiam adjungit: urticam, aronem, flammulam: *pustulas, pruritus, herpedes asseverat, in humana lithurgia, ut melissam, violas, Chamædrion, vitales spiritus, cordis, cerebri, hepatis.* Itaque universæ Naturæ latitudinem, omnes omnium Creaturarum species & genera in homine intuetur. Si Mineralia, Metalla, gemmas inquirit, non periculosas & absurdas terræ latebras rimabitur. Si Canopum stellasque Ursæ oppositas, non immenso navigio novas insulas sectabitur. Si animalium miras & monstrosas species, non Arabiæ immanes calores experietur. Humana Natura omnia ostendet, & his longè majora mysteria: modò oculorum non vulgari acie, ad tam divinam Rempublicam ingressi, artificiosos illos Cives & Archeos deprehendere possemus. Multa quoque in mundana Anatomia dubia & incomprehensa, temporum decreta brevitate, obscuritatibus opem ferente, lucidè explicabit. Neque est alia ratio ad vitalis Astronomiæ Methodum restituendam accommodatior. Cognitis Elementis, Seminibus, Generationum & Transplantationum legibus constitutis,

ſtitutis, atque hinc ſanitatis ac morborum cauſis & originibus derivatis, remediorum Anatomiam aggredietur, quæ & ipſa fundamenta habent in doctrina Generationum & Tranſplantationum, præparationes & debitas adminiſtrationes inquirens. Has ego contemplationes verè Philoſophicas arbitror: & Medicinam quæ hiſce fundamentis innititur, Philoſophicam appellare auſus fui. Et quamvis, ut antea quoque diximus, *univerſa Medicina, in Balſamo & vitali illo Sulphure contineatur, totius Naturæ theſauro, adeóque unica illius poteſtate, omnes omnium morborum curationes abſolvi poſſint*: *nihilominus rerum affinitas & conſpiratio ſuadet, Elementorum quoque doctrinam, Generationum & Tranſplantationum, Medico adjungendam eſſe.* Ita enim authoritate ſtabili & perfecta Scientia inſtructus, provinciæ ſuæ gubernationem, ſumma prudentia adminiſtrabit. Quia verò patrocinium eorum ſuſcepimus, qui adhuc in tenebris & umbra verſantur, ſi non lucem, lucis certè fidelem adumbrationem, hiſce legibus oſtendemus. Principio, Elementorum conditiones, officia & naturas explicabimus. Deinde Semina & Aſtra omnium Elementorum una cum proprietatibus differentiiſque ſuis, adjungemus. Tertiò, Principia conſtituemus omnium corporum, quæ ſunt veſtimenta & domicilia Seminum, in hanc mundanam ſcenam progredientium, opportunè ſubjungentes Generationum, Mixtionum & Tranſplantationum doctrinam, fœcundam copioſa explicatione fructuum, ex Seminibus & Elementis prodeuntium. Tum verò tempeſtivum fuerit, ad humanam lithurgiam deſcendere, procreationem hominis declarare, partium conformationes, ſitus, conſenſus, facultates & actiones, adeoque ſanitatis & actionum omnium naturalium cauſas & modos aperire. Morborum quoque Generationes, Tranſplantationes, Semina, Elementa, Principia, curandi rationes, Remediorum naturas, differentias, præparationes & legitimas adminiſtrationes adjungentes, Artem conſtituemus, Principiorum invicta veritate ſtabilitam.

CAPUT V.

Elementorum conditiones & officia.

TAnta opinionum varietate, confuſionibus & erroribus implicata eſt doctrina Elementorum, ut nulla ingenii dexteritate, ſententiæ tam diſ-

dispares conciliari possint. De Terra, communi omnium parente, Aqua, Aëre, consentiunt multi: Igneum verò Elementum, quia remotum est, nec ita sensibus obvium, obscuram & dubiam explicationem sortitum est. Priora illa tria, fœcunditate Generationum, Generatorum conservatione, & corruptionum testimonio, vitæ usura, repentè Elementorum appellationem obtinuerunt: de Igne verò vehementer dubitatum est. Aristotelici Cælum à corruptibili Elementorum familia planè sejunxerunt. A superiori Aëris regione, ad concavum Lunæ ignem collocarunt, motu levium corporum persuasi, quæ sursum rectà tendunt. Alii, inter quos est Plinius, Cœlum vel Firmamentum, ignem esse dixerunt, & quartum constituere Elementum. PARACELSUS Mosaicæ Philosophiæ discipulus, hanc sententiam magna authoritate confirmavit: fructus & generationes Cœli, Firmamenti vel ignis, copiosè clarèque proposuit: ut Plinius Astrologorum non vulgarium decretis confirmatus. Neque corruptionem cœli vereri debent Peripatetici, si Elementum sit, si Generationes & fructus statis temporibus producat. Terram ante oculos habent æquali perpetuitate stabilem, utcunque in annos & horas, mutabili fructuum varietate ac vicissitudine gaudeat. Si tam gravi testimonio sola non suffecerit, Aquam & Aërem adjunget, de corporum Individuorumque perfectione cum igneo Elemento haud contendet. *Quintum Elementum ab Aristotele celebratum, æque in terra, aëre & aqua reperiri, posthac manifestum erit.* Relicta hac opinionum varietate cum PARACELSO profitemur, *Elementa totius Creaturæ prima receptacula, in duos globos distributa esse, & unumquemque globum duo Elementa continere*, vicinitate conjugium faciente. *Superiorem globum, Firmamentum, Cœlum vel Ignem & Aërem: inferiorem, Terram, & Aquam. In his quatuor Naturis incorporeis, inanibus, vacuis, Lucem & seminales rerum omnium Rationes, incomprehensibili Magia imposuit Creator, virtute Verbi & spiritus illius, qui super aquas ferebatur, Principia corporum adjungens quibus induerentur in mundanam scenam proditura.* Hæc Elementorum vestimenta, oculos multorum Philosophorum fascinarunt: nucleum deprehendisse se rati, cortices & siliquas obtinuerunt. Rudis mortalitas, sensuum & corporum obscuris indiciis, de Elementorum & Principiorum naturis, rebus tam divinis & excelsis, censuram fecit. Hoc fonte derivata clades, universam Philosophiam inquinavit, obscuratis Generationum & Transplantationum legibus, Mixtionum confusa lithurgia, fœcunda errorum progenie, qualitatibus & imaginariis complexionibus omnia replevit.

replevit. Et tandem eò inscitiæ ventum est, ut Elementa à Principiis discerni non possent, confusis proprietatibus,& promiscuè usurpatis. Hippocrates certè, vel quicunque author fuit libelli illius qui De Humana Natura circumfertur, fatetur in principio, se de Elementorum naturis non altius scrutari, quam Medicinæ usus & humanæ Naturæ conditio postularit. Demonstravit igitur ex unico Elemento non constare hominem, quia doleret: redarguens eos qui ex solo Sanguine, Pituita vel Bile, humanam Naturam componi asseveraverant. Itaque de Elementis loquitur Principiorum commixtione fœcundis: quibus Elementi & Principii appellationem, particulari doctrina Generationum ac Transplantationum, promiscuè accommodare licet, Philosophorum libertate & exemplo freti: notiones verò rerum confundere, & simplices Elementorum naturas, ex concretis & multa veste indutis æstimare, absurdum est: Concludit ex Sanguine, Pituita & utraque Bile constare hominem: hæc esse Elementa, materiam, Principia, humanæ naturæ: sanitatis & morborum causas hinc pendere: ex his generari hominem, nutriri & conservari. Interdum dictis Naturis, calidi, frigidi, humidi, sicci appellationem accommodat: dicens, Generationem fieri non posse, nisi consentanea fuerint Principia, justis Naturæ ponderibus librata, ut nec calidum à frigido, nec siccum ab humido superetur. *Appellationes enim ex proprietatibus rerum subjectarum, opportune proposito servientibus sumere fas est.* Ubi verò sanitatis & morborum ortus declarat, Sanguinem adducit, Pituitam & utramque Bilem: horum permixtione & mediocritate sanitatem custodiri: separationem, abundantiam & defectum, morbos parere. Transmutationes ac separationes ex efficientia calidi & frigidi, ex aliorum hypothesi, antea absolvi dixerat. Hanc interpretationem consentaneam toti doctrinæ Hippocraticæ & præcipuè decretis, quæ in libello de Antiqua Medicina, de Diæta, de Natura pueri, de Morbis, continentur, adjunxi: ut temeritatem eorum facilius animadvertere possemus, qui ex hoc libello, definitiones & proprietates Elementorum absolutas, mira subtilitate deduxerunt. Nam quia de concretis Elementis locutus est Hippocrates, definitionem proposuerunt Principiis quàm Elementis magis accommodatam. Calidi, frigidi, humidi, sicci appellationes millies repudiasset, si prævidisset errores, fatuitates & ruinas illorum occasione in Medicam facultatem postea introductos. Etenim Elementorum essentias esse dixerunt: Mixtionum, sanitatis, & morborum authores. Curationum quoque leges,

leges, suspecta facilitate, ex earum harmonia & contrarietate confecerunt: adeoque inaudita Demonstrationum methodo, ex qualitatum numero, Elementorum numerum & proprietates constituere ausi fuerunt. Summas illas qualitates & vehementissimas, non nisi in summis corporibus reperiri posse: eaque non esse infinita, sed quatuor solùm, ubi ignis caliditatem (de utroque vehementer dubitant) animadverterunt. Rectius fecissent, si ex procreationum diversitate & numero, Elementorum ordines deduxissent. *In singulis enim Elementis, insignes sunt procreationum & seminum differentiæ*: quamvis vicinum vicino plurimum consentiat: quo fit, ut unum globum constituant. Deprehendissent *Firmamenti fructus*, quos ipsi vaporibus & exhalationibus, puerili errore, ascribunt, *aëris ferè similes, sed languidiores, & Mannæ, roris, multas species*: *Aquæ mineralia, metalla, lapides*: *Terræ herbas*: ut Animalium ordines sileam. *Quicquid igitur tales fructus perpetua vicissitudine subministrare & fovere potest, optimo jure Elementum appellabitur*: summa caliditas, frigiditas, humiditas, siccitas, steriles hujus liturgiæ dispensatores fuerint. At dicent, Mistione & congressu generationes absolvent. Rectè: quæ miscentur & componuntur, generationes & fructus producunt: Elementa verò, de quibus nunc agimus, constanter asseveramus non misceri. Philosophorum quidem authoritate receptum est, Elementa misceri: at verò *Generationum fontes, Seminum progressiones, & Transplantationum modos dum scrutantur, aliorum Elementorum ministerio utuntur, prima illa & summa Naturæ fundamenta nequaquam attingunt.* Et semina universa, quia mundanam œconomiam æmulantur, in Generationum lithurgia adumbratam Elementorum & Principiorum analogiam ostendunt. Atque hoc pacto *rebus omnibus, quatuor inesse Elementa fatemur, eaque misceri, conservari, beneficio Balsami & radicalis Tincturæ.* Sic terram ipsam quatuor Elementis instructam, fœcunda nutricatione & multiplicatione semina sua fovere: esseque in Natura, Ignem terrestrem, Aërem terrestrem, Aquam terrestrem: rursus terram cœlestem, Aquam cœlestem similiter terrenam, igneam, aëream Aquam: postremo, aëreum ignem, aquam, terram in Aëre. Ita omnium Metamorphoses Naturæ leges sequuntur. *Unumquodque igitur Elementum, suis fructibus producendis & conservandis abundè sufficit, nec destitutum aliunde particulas mutuabitur.* Neque conspirationem & consensum Elementorum tollimus. *Seminum beneficio colligantur. Astra sunt vincula rerum.* Hinc lites, amicitias, progressiones, proportiones, penetrationes, impressiones, & totius Creaturæ dispensatio dependet.
Elementa

Elementa custodes sunt, nutrices, matrices. Hic tanquam in abysso delitescunt semina, destinatis temporibus proditura: & irrequieta motuum vicissitudine pensum ubi absolverint, magno quietis desiderio, diversoria repetunt, feliciorem ibi vitam ducentia, quàm hîc temporibus & locis inclusa. Semina enim cum sint propè innumerabilia (officiis particularibus & explicationi Naturæ serviendum fuit) si uniri debent, communiori vita, adeoque potentiori, opus habent: quod in cunctis Naturæ operibus, mirabili artificio custoditum inveniemus. Proprietatibus hisce & similibus jam confirmatus, dico: *Elementa esse loca, matrices, domicilia, vitali validaque potestate munita, quæ semina generationi consecrata, foveant, digestis temporibus suscitent, ad maturitatem promoveant, emeritis receptacula concedant, immutabili quiete beata; & quia loca sunt., incorporea ut sint, necessitas jubet: nisi enim essent à dimensionum legibus absoluta, nequaquam corporum, Principiorum & Seminum tantam multitudinem tam facilè reciperent. Infinita tamen non sunt, vitali virtute fines & terminos præscribente: Quibus non solum ipsis standum est: sed etiam Seminibus, Principiis, etiam corporibus, utcunque superba dimensionum explicatione triumphent. Vacua vel inania sunt, simili propemodum providentia: alioquin inæquali favore quibusdam Seminibus plus obligata, aliorum rationes obscurius recepissent, & minimè sinceras repræsentassent.* Atque hæc est legitima Elementorum notio, ex proprietatibus & officiis derivata: quam si sequemur, nec misceri Elementa, nec corruptibilia, nec momentanea affirmabimus. Analogia & proprietatum similitudine, etiam aliis rebus, Elementorum appellationem, Philosophorum authoritate confirmati, & hic & alibi sæpe accommodavimus. Rerum notiones, essentiarum stabilitatem imitari decet: Nomina artificum arbitriis subjecta sunt.

CAPUT III.

De Seminibus, Astris, Radicibus rerum, Eorumque proprietatibus & differentiis.

Elementorum abstrusa & vacua natura seminibus ornata est, idque virtute ejusdem Verbi explicante unitam multitudinem, & imperscrutabili separatione singula

locis temporibusque consentaneis adaptante. Indissolubili nexu Elementis conserta cohærent, vix ulla mentis subtilitate disjungi possunt. Sensuum censuras planè repudiaverunt. Nec enim molis magnitudine, nec partium distantia, nec ullis dimensionum vinculis alligata, vitali puritate & potestate, Elementorum abyssos ubique penetrarunt, servatis sine confusione legibus à Creatore præscriptis. Progredientia verò, Principiorum infelici conjugio plurima perpetiuntur, partium distantias, extensiones admittunt, locorum insuetis angustiis includuntur, & temporum tam tardas revolutiones mirantur. Nec unquam ad calamitosos hos carceres declinarent, nisi inevitabili legis mandato decretum esset, vitæ, essentiæ, bonitatis vestigia, universis Creaturæ partibus adesse debere. *Nec enim Entia in uno sistere gradum poterant, admirabili potestate repleta.* Horum itaque ministerio mundana provincia administratur, temporum prædestinationes, motuum leges, generationum & transplantationum constantes lithurgiæ absolvuntur. Hæc continuitatem rerum custodiunt, corporaque ad infinitatem, & hoc quod nihil est, magno impetu labentia, stabili virtute retinent. In his pulchritudo, scientiæ, artes, dispositiones Mechanicæ, figurarum & magnitudinum splendore conspicuæ, continentur. In his colores, sapores, odores & universæ qualitates delitescunt: horum virtute perfusa corpora reddunt formosa, viventia, & multis illecebris obducuntur, sensibus insidiaturis. Ex his actionum omnium vigor & potestas derivatur: cetera languida sunt actionum impedimenta. Hæc complexiones & proprietates rerum constituunt, multiplicationes moderantur, stabilitatem custodiunt, & mille hujusmodi dotibus ornata sunt. *Surda & cœca est omnis Philosophia, qua horum contemplatione neglecta, privationes, informes materias, & mortuas qualitates sectatur.* Etenim Elementorum cognitionem, sine his, adipisci non possumus. *Semina enim vel Astra, officia Elementorum explicavere. Hæc invisibilia sunt, pura à cœtu generationum & corruptionum separata: illa nobiscum negotiantur, commorantur, sensibus* (sed Sapientum) *sæpe repræsentantur.* Et quia *corporum commixtione, seminum vires contaminari*, in hac rerum lithurgia animadvertimus, puritatem illius Reipublicæ in qua sublatis corporum vinculis, sola tanquam in patria habitant, quis non intelliget virtutem quoque & supremum Balsami vigorem, cujus beneficio incorrupta in ævum custodiuntur, & Essentiæ vitæque incomprehensibilem copiam, qua dum fruuntur, nec esuriunt, nec sitiunt, nec aliis vim inferunt. Hujusmodi Elementorum proprie-

proprietates ſeminum natura demonſtravit. *Corporum Principia, Elementorum permixtorum conditiones, mixtiones, generationes, ſine exacta ſeminum notitia deprehendi nullo modo poſſunt.* Poſtremò *in morborum curationibus, quia remedia omnia perfecta & univerſalia, in radicali, vitali & ſeminali Naturæ materia, in Balſamo, in Aſtris contineri diximus*: operæ pretium fuerit, Aſtrorum, Balſami vel ſeminum naturam ſumma diligentia perſcrutari : nec ulla, Materiæ vel Formæ, vel Privationis, vel caliditatis, frigiditatis, humiditatis, ſiccitatis interpellatione, ab hac provincia excuſabimur. Itaque differentias & proprietates ſeminum, quatenus compendii ratio admiſerit, ſubnectemus: plurima conſultò prætereuntes, quæ Medicinæ & mundanarum rerum œconomiam tranſcendunt. *In Elemento cœleſti vel igneo, quia ſemina obtinuerunt corpora perfectiſſima, Individua quoque ſimilia produxerunt, in ſæculum duratura*, ut Solem, Lunam, Planetas, & Aſtra omnia. Providentia & bonitate Creatoris factum eſt, ut inviſibilia reliquorum Elementorum aſtra, in hoc ſupremo Elemento viſibili ſpecie repræſentarentur, motuumque leges & temporum prædeſtinationes clare explicarentur. *Hæc cœleſtia individua, vitali ſeminum poteſtate tota perfunduntur.* Nec mortua ſunt corpora, ut vulgus arbitratur. Quamvis enim ætatum diſcrimina non oſtendant, nec defatigentur, nec aliis vitæ conditionibus, aliorum Elementorum Individuis communibus obligentur : fructuum nihilominus digeſtiones, maturitates, partus, ortuum & occaſuum teſtes, demonſtrant. Hæc ſanè vitæ ſunt munera. Et tamen mirabuntur plurimi *ſydera cœleſtia gravida eſſe : pluvias, ventos, tonitrua, grandines, nives, illinc ad nos demittere* : puritate & incorruptibilitate Firmamenti perſuaſi. Ubi verò generationum lithurgias diligentius inſpexerint, mirari deſinent. *Procreata* enim & *ſeminum fructus, nequaquam ſuis exordiis reſpondent* : corporalitate, inſtabilitate, corruptibilitate ac horum aſſeclis, immanè quantum diſcrepant? In peregrinis quoque matricibus fructus deponunt, & inſigni providentia cuncta videntur ad terram inclinare, ejuſque fœcunditatem promovere. Sic Firmamenti procreationes in Aëre abſolvuntur : hinc inferiori globo communicantur. Aërei ſimiliter fructus ex centro ad circumferentiam procedunt : ibi coagulationem & perfectionem conſequuntur. Affinitate ſuperiorum, obſcuritate implicati ſunt. Et *quæ ſenſus fugiunt, ſenſuum judicio ab Entium ordine ſtolidè relegantur. Aquæ ſemina in Terræ gremio pariunt*: deinde ad ſuperficiem tendunt. *Terra verò in hanc circumferentiam in qua vivimus vigemuſque, fructus ſuos educit.* Ita univerſorum Elementorum

rum procreationes ad humanam provinciam, veluti ad desideratum terminum voluntario festinant impetu: & benigna irrigatione omnes Naturæ partes fovent. Fructus enim, procreationes, radii impressiones & vitales effluxus astrorum, quæ Elementorum sinu continentur, confluunt, conspirant, ac consentiunt. Atque hinc Mixtionum fundamenta dependent, quemadmodum mox declarabimus. Itaque etsi inferiora Elementa, non tam pura corpora, tam perfecta Individua, seminum officiis accommodata, ostendant: nihilominus in suis thesauris corpora obtinuerunt in sæculum duratura, quibus vel seminum vel Specierum perpetuitatem ab interitu tuentur. Cœlestium interea perfectionem sine invidia venerantur. Et quia corporibus illis destituta, visibilia Astra demonstrare non possunt, infinitas errorum occasiones præbuerunt. Quot, quanti, Philosophi, totam Astronomiam soli Firmamento ascripserunt: reliquorum Elementorum vicissitudines, non ab innatis astris, sed à cœlestibus absolvi prodiderunt: & si Diis placet, etiam seminarias virtutes & fœcunditates, ex cœlo inconsideratè deduxerunt. At certè, *quæcunque in cœlo explicata conspiciuntur, in cæteris quoque Elementis, virtute & vitali potestate continentur*: à quibus actiones proficiscuntur: in quibus Scientiæ mechanicique rerum processus vigent: in quibus temporum decreta momenta custodiuntur. Corpora ubique mortua sunt. Sic æstatis, hyemis, veris, autumni sydera, in Terra continentur, in Aqua & Aëre: quæ nisi conspirarent cum astris Firmamenti, steriles cœlestium impressiones utique accusaremus, si temporum Transplantationes, & confluentiarum prævaricationes annonæ calamitates pariunt. *Mutua enim seminum conspiratione, familiaritate, nutricatione, totius Naturæ fœcunditas stabilitur*: impressionum reciproca vicissitudine nexus conservatur. Harum legibus vitiatis sterilitates & defectus sequuntur. Sed quænam sunt illa *corpora astralia inferiorum Elementorum? Sanè duplicata sunt. Puriori, quæ cœlestium perfectionem æmulantur, in conspectum non veniunt, nisi artificum industria, divina adaptatione ab adjunctis separentur*. Potestatem, vitam, actionum vigorem ubiq; demonstrant. Quemadmodum verò inter se differunt semina, officiis & proprietatibus: ita hæc quoque corpora differre asserimus: herbarum corpora ab arborum, animalium, mineralium, metallorum, gemmarum, &c. Et in his herbis, aliud corpus esse melissarum, aliud valerianarum, aliud calamentarum, aliud urticarum, aliud serpentinarum: in arboribus, aliud quercuum, aliud pyrorum, fagorum, cupressorum, abietum, &c. In animalibus, aliud homi-

hominum, aliud leonum, aliud boum, canum, cervorum, &c. In Mineralibus, aliud vitriolorum, aluminum, vitrosorum, salium, &c. aliud marcasitarum, antimonialium: aliud Metallorum. *Hæc sunt illa corpora, Semina, Astra, Radices, Balsama, vitalia principia, prima materiæ, in quibus nunc sæpe diximus, & posthac dicemus, universam Medicinam fundari.* Ex his quædam perenni Individuorum successione, in sæculum custodiuntur, permanentque in duplicatis corporibus, mundanæ provinciæ œconomiam dispensatura: quo ordine continentur semina omnium perfectorum animalium, plantarum, arborum & quæcunque nova sobolis suffectione æternitatem æmulantur. Alia, corporum quidem conjugium admittunt, sed instabile: absoluta officiorum dispensatione, certis temporum intervallis circumscripta, decrepitum corpus, morti destinatum destituunt, ad diviniora se recipientia diversoria, ubi nec esuriunt, nec sitiunt, nec ullis Astrorum impressionibus obnoxia, Mixtionum & Transplantationum superba imperia aspernantur. Recidivis generationibus, constanti circuitu, documenta ponunt, se vitali vegetaque Repub. delituisse, non ex mortuis fontibus temerario radiorum, atomorum, qualitatum congressu, prodiisse. Horum omnium natura manifestiùs declarabitur in Generationum & Transplantationum doctrina. Nunc proprietatum tam diversarum nomina, & nominum notiones rebus inhærentes explicabimus: quibus omnibus conjunctis, astrorum vel seminum naturam compendiosè ante oculos subjiciemus. Inprimis occurrit seminis appellatio: quamvis angustam nimis significationem apud vulgares Philosophos obtinuerit hactenus. Ii enim solùm id semen existimant, quod visibili materia fœcunditatem sui generis conservare possit, ut in animalibus perfectis, plantis quam plurimis. A reliquis omnibus, mineralibus, metallis, astris cœlestibus & aëreis, semen auferunt: quia diversitatem in mechanico generationum processu non consideraverunt. Officiorum immensa sunt discrimina. Neque eo modo propagari decuit mineralia vel metalla, quo animalia & plantæ propagantur. Cœlestes quoque fructus & aëreos, longè dissimiles esse oportuit. Quare officiorum similitudine immutata semina, diversorum Elementorum differentibus ornata corporibus magna generationum diversitate fructus suos produxerunt. Et quemadmodum in animalibus & plantis nonnulla infœcunda sunt, quamvis in se contineant vitale Principium, Semen & innatum Balsamum: ita quoque in procreationibus aquæ & impressionibus cœli, quædam sunt steriles & evanidæ,

quamvis à radicibus deriventur, in quibus seminis ratio, & vitæ principium delitescit (Impressiones hæ, Elementorum officinas peperere, qualitatum adulterino imperio subjectas) *quædam verò fœcundæ & Tincturam post se relinquunt, definito temporum intervallo durantem: hinc morborum, Insectorum, & plurimarum rerum exordia dependent.* Si perenni vicissitudine, digestisque temporibus fructus & Individua hujusmodi, ex fontibus suis producunt (quod seminis officium est) qua stoliditate, cælestibus, äëreis, aqueis astris seminis appellationem denegabimus? Rursus mutata rerum vice, astra in plantis & animalibus contineri docemus, astrorumque appellationem horum principiis consentaneam esse. Etenim sive statas motuum periodos quæsiveris, in omnibus actionibus naturalibus, herbarum, animalium & mineralium, in alimentorum concoctione, excrementorum separatione, in tota nutricatione, in augmentis, in procreationibus, motuum rata constantia & æquabilitas custoditur. Vitales pulsus, musicis pedibus & consonantiarum rythmis alligatos, quis nescit? Ubi tantam in cœlestibus astris motuum subtilitatem invenit humana solertia? Morborum statos circuitus, menstruorum excretiones, quæ stabili motuum ordine nominis usuram acceperunt, Oceani æstus, reciprocationes, prætereo: nihil est in universa inferioris hujus naturæ familia, quod non innatis astris totam Astronomiam officiis prædestinatis accommodatam absolvere possit, ætatum discrimina constituere, quietis & laborum tempora gubernare, actionum, dimensionum, durationum terminos & limites invariabili decreto definire. Rursus si efficacem agendi potestatem desideras, si radiorum repentinos impetus penetrationum authores: in animalium, plantarum ac mineralium Oeconomia cuncta invenies.

Quid igitur abhorremus animadvertentes astrorum appellationes rebus inferioribus adaptatas? *Officium quod absolvit, nominis triumphum promeruit. Radices rerum propterea dicuntur, quia in iis fructuum dispensationes, maturitates, totaque fœcunditas mundanæ arboris custoditur.* Et quemadmodum fructuum durationes momentaneæ, stabilitate radicum reparantur, statisque temporibus mundanæ Anatomiæ restituuntur: ita in seminibus, generationum & procreationum omnium origines quiete delitescunt, utcunque silentio mortalibus æstatis diuturum desiderium produxerint. Quòd si vitali potestate repleta, corruptiones impediant, contrarietates concilient, corporum inclinationes ad putredinem festinantes cohibeant, Balsami utique appellatione meritò gaudebunt. In summa, *si cœlestia dicantur, rectè*

dicuntur:

dicuntur : si terrestria nominaveris, haud errabis : si Elementa, si Principia appellentur, tanta natura societate conjungentur, ut reciproca nominum insignia, sine aliorum injuria sibi adsciscant. Rerum œconomia sufficientia beata est, nominum provinciam invidia occupavit. Itaque quamvis arduum sit tantas rerum dotes, tot munera, brevitate verborum circumscribere : juvabit tamen, præcipuis collectis officiis, ex amplissimo maris gremio, in tutum tranquillumque portum nos recipere, idque tali formula.

Semina sunt vincula utriusque naturæ, visibilia invisibilibus conjungentia : In quibus motuum leges, temporum prædestinationes, generationum & transplantationum lithurgiæ, & universæ mundanæ anatomiæ dispensationes continentur, tanquam in vitalibus potentiis incomprehensibili sapientia decoratis : Quorum ministerio agentium impressiones à patientibus admittuntur vel repelluntur, summa infimis conjunguntur, & totius Naturæ sympathia custoditur : Ex quibus sapores, odores, colores, & qualitates vitales omnes, quantitates, numeri, conformationes & signaturæ cæteræ, in Mechanico generationum & transmutationum processu procedunt.

Rudimenta hujus Naturæ posui : Nec fas est omnia palàm interpretari: qui experientiæ labores & difficultates non recusaverit, si contemplationum vitales fontes, pia assiduitate invenerit, ex his initiis majora proferet, quam prima facie polliceri videntur.

CAPUT VII.

De Principiis Corporum, & Elementorum permixtorum Natura.

QUicunque de Principiis altius contemplati sunt quam Generationum & Transplantationum leges requirunt, eorum decreta, hoc loco nec rejicimus, nec approbamus : aliter enim de Principiis disserunt : & ampla est vocabuli significatio. *Singulis namque rerum ordinibus propria adjuncta sunt Principia.* PARACELSUS cum dicit, corpora omnia constare *ex Sale, Sulphure & Mercurio*, non repugnat *Aristoteli*, qui rerum Principia statuit, *Materiam, Formam & Privationem*: nec *Platoni* dicenti *Deum, Exemplar & Materiam* esse Principia omnium. Singuli quippe diversas Creaturarum

rarum œconomias ſcrutantur. Nobis, Generationum & Tranſplantationum cauſas & proceſſus declarare propoſitum eſt. Itaque Elementorum & ſeminum proprietates demonſtravimus: deprehendimuſque etiamnum aliquid deſiderari, antea quam ex ſuis abyſſis, in hac mundana ſcena, Generationum & Tranſplantationum lithurgias abſolvere poſſent. Naturam igitur talem adjungere oportuit, quæ diviſibili proprietate, temporum, locorum omniumque dimenſionum neceſſarias explicationes admitteret: & quæ vitalibus ſeminum potentiis terminum conſtitueret, adeoque univerſæ Naturæ fores clauderet. Hæc eſt corporum natura. Quamvis autem ſenſuum inconſideratis arbitriis, explicationem habere videantur obſcuritate expeditam: nihilominus, ubi originem, differentias & conditiones inquirimus, plurima occurrunt, quæ multorum Philoſophorum ingenia fatigarunt. Audax & improvida mortalitas, inviſibilium cognitionem, ſenſuum miniſterio ſibi pollicetur, cum viſibilia & corporea eorum legibus comprehendi non poſſint. Externa quædam corporum veſtigia comprehenſa ſunt: ut proportiones, gravitates, colores, calores, frigora, odores, ſapores, magnitudines, figuræ, numeri: quæ tamen corporibus adventitia ſunt. Horum facultate, Methodorum adumbratione fertili, impia temeritate, inviſibilia, etiam cœleſtia, interpretari conamur: neque Gigantum infelix audacia abſterret. Quod ſi originem tam corporum, quàm qualitatum corporibus inhærentium, primò inveſtigaremus: rerum difficultate & majeſtate admoniti, nequaquam tam brevibus menſuris tantam amplitudinem metiri nos poſſe conſideremus. Etenim, qualitatum, magnitudinum, figurarum, numerorum exordia, in ſeminibus contineri diximus: qua ratione in generationibus producantur, demonſtrari poteſt: quamvis *arduum* ſit *inſuetas tentare vias*. Corporum verò principia & progreſſus ſi quis inquirit, protinus defatigabitur, à locorum deſertis ſolitudinibus confeſtim abhorrente animo. Veretur enim, ne ſpecierum conſuetis diverſoriis relictis, vacuitatum & infinitatis abyſſo ſubmergatur. *Species verò univerſæ, Rationes ſunt & ſeminum ſoboles.* Ita ad alteram naturam viæ omnes interceptæ videntur. Hinc famoſæ illæ dubitationes de Materia prima: cujus conditiones multis nominibus à Platone deſcribuntur: appellat enim ſpeculum, receptaculum, nutricem, matrem, locum: & tamen fatetur notionem ejus eſſe *ἁπτὸν μετ᾽ ἀναισθησίας καὶ νόθῳ λογισμῷ ληπτόν.* Ariſtoteles Privationem adjunxit tanquam ſtimulum Naturæ, inſatiabili appetitu, generationum perpetuas viciſſitudines promoturum.

moturum. De his alibi tempestiviùs agetur: nunc instituti memores, corporum origines, differentias & proprietates, quatenus Generationum ac Transplantationum doctrina requirit, aperiemus. Dicimus igitur *essentiam, existentiam, vitam & actum Entium universorum Elementa esse. Hæc quo propius unitatem & fontem Naturæ attingunt, eò magis uniuntur*: adeò ut in quibusdam idem sit vita, essentia, actus & existentia, nulla differentia, quam vel ratio animadvertere, vel sensus deprehendere possit, inter se discrepantia. *Progredientia verò, & ab unitate in multitudinem delapsa, separantur*, & differentias demonstrant rationi manifestas: etiam sensui, in ultimis rerum ordinibus. Itaque Elementa & Semina, de quibus nunc egimus, in suis fontibus quondam unita fuere, nec officiorum varietate & multitudine (quibus una existentia, actu, vita, essentia, satisfacere non poterant) distrahebantur. Posteaquam verò æternæ legis immutabili decreto, sæculi mundani œconomiam administrare jussa sunt, officiis, existentiis, vitis, essentiis, separata sunt. Nec somniare debemus *ex confusione, Chaos, hæc tam ordinata produisse: sed ex æternis divinæ sapientiæ thesauris.* In hac prima Creaturarum constitutione, *semina à suo fonte progressa, in alio fundari necesse fuit.* Neque hîc quiescere oportuit: sed fructuum constanti multiplicatione, Generationum & Transplantationum vicissitudines moderari, adeoque mundanæ Revolutionis comprehensas periodos absolvere. *Si seminum imagines peregrinari oportuit: Elementorum quoque consentaneam imaginibus Naturam comitari æquum fuit.* Et quemadmodum semina in hac provincia generationi subjecta à parentum suorum perfectione, potestate & puritate plurimum discrepant: ita loca, matrices, receptacula, nutrices, hîc obtinuerunt, à primorum Elementorum, domiciliorum, nutricum, &c. simplicitate, vigore, virtute, tantundem discrepantia. Neque enim disjungi possunt: & officiorum similitudine conspirant, *suisque natis signaturas tribuunt iisdem legibus confœderatas.* Proprietates enim utrinque, analogicè tamen inviolatæ custodiuntur, quamtumvis à conspiratione & unione primorum distare videntur. Hæc conjugii fœdera faciunt, ut nunquam corporibus destituantur semina: quascunque magnitudines, figuras, distantias, numeros, explicare tenentur, momento, cogitatione citius, adsunt corporum rudimenta officiis consentanea, aderuntque sine defectu, donec seminum expleta sit prædestinatio. Et quia *in singulis seminibus, dona sunt plurima*, Scientiæ & mechanici processus propè innumerabiles, nec singula iisdem momentis Materiæ faciem occupare

 possunt,

poſſunt, ſtatis temporibus, *Formarum copioſa varietate Materiam veſtiunt.* Qua viciſſitudine, ſtabilitatis opinionem, apud nonnullos Philoſophos nacta eſt Materia: cum ſit nihil minus inſtabile. Sed jam diximus comites eſſe indiſſociabiles. Nunquam enim à ſeminibus deſtituentur corpora: & corporum uſuræ viciſſim ſeminum officiis in ævum ſufficient. Atque hæc eſt prima Corporum origo: cujus obſcuritates planius explicarem, niſi Compendii ratio vetaret. Differentias nunc corporum adducemus: & quæcunque poſthac dicturi ſumus, de corporibus, Elementis, ſeminibus, non ad ſimplicia illa, ſed concreta elementorum corpora, ſeminum virtute perfuſa, referemus.

Prima differentia corporum ex Elementorum ordinibus deducitur: quòd alia ſint terrena, alia aquea, alia aërea, alia cœleſtia: quæ penetratione, mobilitate, agendi poteſtate, plurimum diſcrepant. *Rurſus alia corpora, Elementorum proprietatibus magis inſignita ſunt, alia ſeminum. Quæ Elementorum proprietatibus magis inſigniuntur, ea ſunt, in quibus nulla dynamis interna latet, ſaltem ſteriles caliditates, frigiditates, humiditates, ſiccitates, levitates, gravitates, in quibus nulla eſt impreſſio fœcunda: etiam ſine ſapore planè inſipida deprehenduntur.* Hujuſmodi corpora à multis Philoſophis hactenus Elementa appellata ſunt: & tamen fructus ſunt ſeminum aliorumque Elementorum, perenni fluxu & irrigatione generationibus inſervientes. Talis eſt natura terræ, aquæ, aëris & ignis noſtri: talis eſt natura plurimarum impreſſionum cœleſtium, ut nivis, pluviarum, ventorum quorundam, caloris, frigoris, ſiccitatis, humiditatis & ſimilium impreſſionum aërearum. Fontes & flumina ferè omnia hoc ordine continentur, niſi quibus admixta eſt nova aliorum corporum tinctura: Terra quoque omnis, quæ nec Mineralium, nec herbarum ſeminibus gravida eſt. Multa ſunt hujuſmodi corpora. Multis enim alimentum & domicilum debent: alioquin univerſa ſeminum genitura tranſplantationibus confunderetur. PARACELSUS interdum dicit hujuſmodi corpora *deſtituta eſſe Arcanis: alibi, non habere in ſe Cherionium Naturæ,* ſteriles ſaltem qualitates Relollaceas innatas, in quibus nulla eſt confluentia, nulla conſpiratio cum aſtris morborum: proinde nec ullam medicinam ex his confici poſſe. Eadem eſt ſententia Hippocratis, in libello de Antiqua Medicina, ubi profitetur, πάντα ἀπὸ δυνάμεων γίνεσθαι τὸ θερμὸν, ψυχρὸν, ξηρὸν, ὑγρὸν, non eſſe τὸ μεγάλην δύναμιν ἔχον: propterea in his nullam eſſe virtutem ad ſanandos morbos, &c. Sed de his in remedio-

rum

rum doctrina copioſius agemus: rerum affinitate adducti, quia in ordine eorum corporum continentur quæ Elementorum proprietatibus magis veſtita ſunt, hoc quoque loco de iis mentionem fecimus. *Ab his diverſa ſunt corpora, quæ ſeminum proprietates imitantur, quarum impreſſiones fæcundæ ſunt, & tincturam poſt ſe relinquunt conſtantem. In his ſaporum, odorum, & qualitatum omnium vitalium veſtigia manifeſtè deprehenduntur.* Et quamvis concurrant, caliditates, frigiditates, humiditates, ſiccitates: ab iis tamen actiones non procedunt: pro præſentia ſaltem aſſiſtunt, Legatorum comites. In his corporibus ſeparatio fieri poteſt virtutum ab invalido, puri ab impuro. Immenſam horum varietatem Aſtrologi in Elemento cœleſti, ad ſeptem claſſes reduxerunt, animadvertentes ſyderum omnium proprietates, vel Saturninas, vel Martias, vel Joviales, vel Solares, vel Venereas, vel Mercuriales, vel Lunares eſſe. Hos imitati Philoſophi fructus Elementi Aquæ ſimilibus differentiis comprehenderunt. Herbarum quoque & omnium Plantarum œconomiam ſimiliter diſpenſarunt. Tertia corporum differentia hæc eſt: *Alia ſunt exordiis ſuis viciniora, alia longius proceſſere. Viciniora ob naturæ ſimilitudinem, cœleſtia, ſpiritualia, vitalia, valida vegetaque appellantur: alia terrena, craſſa, concretaque, mortua & invalida dicuntur.* Nihilominus in una eademque natura conjuncta, mutationum viciſſitudine, ſpiritualia corporum affectiones tandem admittunt. Hæc igitur differentia non amplius eſt corporum ſeorſim ſubſiſtentium: ſed in compoſitionibus & conſtitutionibus Individuorum confluentium: quemadmodum in Generationum, & Tranſplantationum doctrinâ demonſtrabimus. Quia verò corpora omnium Individuorum, ab Elementorum matricibus productorum, compoſita eſſe animadverterunt Philoſophi: quæſitum eſt diu, quæ ſit natura, proprietas, differentia Principiorum ex quibus componuntur. Nonnulli ſenſuum authoritate contenti, concretorum & communium Elementorum diſcrimina, proprietates & officia, in ſingulis Individuorum corporibus deprehendentes, ex horum mixtione & congreſſu corporum omnium proprietates ac differentias deduxerunt. Nec dubium eſt, *quin in corporibus univerſis concretis, quatuor Elementorum rudimenta conſpiciantur.* Oeconomiam enim mundanam minima quæque ſemina æmulantur. Alii, Hermetis diſcipuli, corporum artificioſa ſeparatione, & hæc communia Elementa manifeſtius conſpexerunt: præterea alia quoque Principia potentiora, ſeminum proprietates, conditiones & naturas explicantia,

magna utilitate introduxerunt. *Tria sunt illa, nominibus specierum, in quibus facultates uniuscujusque Principii manifestissime vigent, ornata: liquores Mercurii, oleosa Sulphuris, crassiora verò concretaque Salis.* Rerum contemplationi penitus incumbebant Philosophi, nominum illecebris neglectis. *Hæc igitur tria, Sal, Sulphur, Mercurius, corpora universa conficiunt.* Cave autem ne arbitreris, eos, Sal commune, Sulphur & Mercurium vulgi intelligere. Ex iis *enim nullum corpus constituitur, cum sint Individua in suo genere absoluta.* Unumquodque horum tria pariter in se Principia continent. Habet enim Sal commune in se Sulphur vel oleum, Mercurium vel liquorem, & adhuc substantiam quandam solidam vel fixam salis naturæ propinquissimam: similiter sulphur vulgare, liquorem continet, oleum & sal, eodem quoque modo Mercurius aquam habet, oleum & sal. *Sed quia differentias trium substantiarum, ex quibus universa corpora componebantur, proprietates, conditiones, in nullis totius Naturæ speciebus magis explicatas animadverterunt, placuit ex iisdem appellationes mutuari:* idque Philosophica authoritate. Si enim aliis conceditur *figurarum & colorum externa similitudine nomina rebus imponere*, qua inscitia eos accusabimus, qui actionum & proprietatum ab essentia immediatè fluentium, consonantiam imitati, ejusdem familiæ rebus easdem appellationes accommodavere? *Nec* PARACELSUS *primus hæc principia introduxit*: neque ab aliis introducta nominum caligine obduxit, ut multi cavillantur. Magnus est numerus Philosophorum qui seculis aliquot ante natum THEOPHRASTUM Principia prædicta attulerunt, proprietates, officia, differentias, copiosè clareque proposuerunt: quamvis nominum varietate, copia & instabili vicissitudine (ita necesse fuit) difficultatem contemplationibus suis obduxerint. Horum nomina, authoritates, loca referre possem, nisi alio properaret calamus. Ut autem consilium Philosophorum clarius conspiciatur, necessitate trium primarum, ac utilitate animadversa, ita agemus. Promiscui Philosophi vulgaresque Medici, alterationum, transmutationum, sanitatis, morborum & mortis causas rimantes, post longa viarum tædia defatigati, ad Elementa quædam pervenerunt communia omnibus corporibus: in quibus fundamenta posuerunt totius Naturæ. Ex eorum congressu, proportioneque mirabili, nec satis explicata mixtione, causas Generationum, Transplantationum, facultatum, omniumque actionum, expedita facilitate, deduxerunt. Similes deinde qualitates invenerunt æquè communes, caliditatem, frigiditatem, humiditatem, quas summas

&

& potentissimas dictis Elementorum corporibus stabili conjugio junxerunt. Harum permixtione, materia opem ferente, secundas, tertias, & quando libuit, quartas qualitates protulerunt. Tanta causarum Principiorumque fœcunditate onusti in mundanam œconomiam ingressi, generationes eorum quæ in sublimi fiunt, mutationes, effectus, proprietates, interpretati sunt, calidi attractionem, rarefactionem, congregationem homogeneorum, separationem heterogeneorum, frigidi repulsionem, condensationem, & hujusmodi facultates sæpe commemorantes. Rursus iisdem qualitatibus & complexionibus, herbarum facultates ascripserunt: quamvis materiæ tenuitatem & crassitiem in secundarum facultatum explicatione, id est, incisione, attenuatione, absterſione, levigatione, incrassatione, penetratione, adjungere recoacti sunt. Tertias quoque facultates, diureticas, sudorificas, menstrua cientes, eadem lege, multa prius postulantes, complexi sunt.

Alexiteriorum verò vim, Alexipharmacorum, Specificorum & purgantium, ex prædictis qualitatibus & complexionibus, nulla industria derivare poterant: Itaque occultæ proprietatis & totius substantiæ hæc opera esse confessi sunt. Totam autem substantiam dixerunt inexplicabilem proportionem commixtionis quatuor Elementorum: ut nihil relinqueretur à contagione qualitatum immaculatum. Bosleri, novorum morborum remediorumque copia compulsi, occultas illas proprietates, vehementer amplificarunt. Et jam dubitationi satisfactum arbitrabantur, si ab oculari proprietate, hos vel illos effectus prodiisse, rusticè dixissent. Tandem usque adeò placuerunt hæc inscitiæ vela, ut titulos librorum suorum, errorum & imperitiæ futuros testes, iisdem nominibus inscripserint. Sic inusitata metamorphosi, ex manifestis Philosophis, occulti facti sunt, ex Dogmaticis Empirici. *Quid Philosophiæ titulos injuste usurpamus, si præclare illa Naturæ opera, in quibus universa potestas viget, tanquam miracula cum plebejis admiramur?* Quocirca rudem hanc, & imperfectam causarum cognitionem aspernati profundiores Philosophi, altiori analysi, naturalium rerum Principia inquisiverunt, nec sensuum solummodò testimoniis contenti, artificiosam corporum resolutionem adjunxere: cujus beneficio, substantiarum facta separatione, ex quibus componebantur singula corpora, in conspectum venerunt proprietates, quæ antea compositionis virtute occultabantur. Tum demum patuit quibus Principiis tot talesque effectus editi essent. Ita ex specierum ampla provincia distincta secretaque Individua,

clarè actionum fontes proximos demonstrarunt. *Diu multumque de Opio dubitatum est, qua ratione in tanta amaritudine, stupefaciendi virtus excelleret? Nos, substantiarum facta separatione, sulphur vel oleosum quippiam deprehendimus, planè narcoticum*: ejusdem naturæ sulphura antea conspexeramus, eadem industria, in multis Naturæ partibus, in vitriolo, nitro, salibus ferè omnibus, in sulphure vulgari, in herbis plurimis. Itaque nec calori, nec frigori, nec humiditati, nec siccitati, nec tenuitati, nec crassitiei, hanc opii proprietatem ascripsimus, sed tali corpori, id est *sulphuri narcotico*. Eadem separatione, anatomia, analysi, in opio sal quoddam diaphoreticum deprehendimus, quod subtili resolutione penetrando sudores movet: cujus similitudinem in multis Naturæ partibus similiter demonstrare possumus. Corporibus autem in hujusmodi separatione deprehensis, Salis, Sulphuris, Mercurii, nomina imposuimus. Quia in illis tribus Individuis, omnes omnium corporum differentiæ, proprietates, conditiones, manifestissimè conspiciuntur. *In vino dubitatum est, qua ratione, cum calidum sit, cum collapsas vires*, tam subitò recreet, hilaritatem inducat; diuturnorum & gravium morborum causa esse possit, ut Podagræ, Hydropis, Contracturæ, Colicæ, Calculi. *Separatione conspeximus exiguum esse spiritum, liquorem Mercurium*, qui humani corporis spiritibus consentaneus sit: *copiosam deinde substantiam illaudatæ aquæ, nec sapore nec odore commendabili: sal quoque tartareum, fæculentum, cujus proprietates*, in plurimis naturæ Individuis sæpe edocti, mirari desivimus; qua ratione, temporis progressu vitiata lithurgia facultatum humani corporis, tam immanes Podagræ dolores, Colicæ, Calculi, ciere posset: qua proprietate labefactatis visceribus, universum corpus, aquoso & salso liquore impleret, & in quibusdam consumto vitali humore, tabida membra in miserabilem contractionem adduceret. Hujusmodi plurima, Anatomia salium nobis declaravit. Purgantium quoque facultates ex eadem familia manifestas fecimus. Quid igitur agendum, quæ via ingredienda, ut has corporum proprietates, tam validas, tam potentes deprehendere possimus? Certè, qui Elementa illa communia, complexiones & qualitates, fundamenta Naturæ posuerunt, viam ostendunt facilem, compendiosè ducentem ad fastigia, sine multo sudore. Qui verò ad finem itineris pervenerunt, Methodorum analogismis onusti, ubi ad actiones procedunt, studiorum suorum documenta daturi, mirantur, tam languidas subtilitatum progressiones, tam tarda Naturæ obsequia, miraculis, dubitationibus & infinitis erroribus implicantur:

φάσκοντες

Φάσκοντες εἶναι σοφοὶ ἐμωράνθησαν. Ita divites dimittuntur inanes. Alii verò, qui invisa illa Principia corporum, Sulphur, Sal, Mercurium proposuerunt, aditus difficiles ostendunt, ærumnis, laboribus, infinitisque difficultatibus implicatos. *Ite filii, vendite agros, ædes, vestes, annulos, comburite libros, emite calceos, montes accedite, valles, solitudines, littora maris, terræ profundos sinus inquirite: animalium discrimina, plantarum differentias, mineralium ordines, omnium proprietates, nascendi modos notate: rusticorum Astronomiam & terrestrem Philosophiam diligenter ediscite, nec vos pudeat: tandem carbones emite, fornaces construite, vigilate & coquite sine tædio: Ita enim pervenietis ad corporum proprietatumque cognitionem, alias non.* Hæc mandata gravia essent, nisi laborum beata præmia pollicerentur. Etenim manifestam occultarum proprietatum explicationem continent, actionum fontes, agendi modos, temporum prædestinationes aperiunt, consensum & confluentiam totius Naturæ demonstrant. Hisce divitiis ornatos, & multa experientia confirmatos, Philosophos constituunt legitimos Naturæ interpretes & ministros. Quocirca quibus veritas curæ est, hanc viam ingredi debent. Scabie occupentur, qui relicti, tam felicis itineris comites esse nolunt. Elementa quidem communia illa, permixta, concreta, mineralisata (si libet) & nos intelligimus, ac facilius, clarius, majori utilitate explicare possumus. Originem enim & Naturam eorum didicimus, & antea aliquoties exposuimus: differentias, conditiones in artificiosis rerum separationibus vidimus: conspirationem cum tribus corporum Principiis, Sulphure, Sale, Mercurio deprehendimus: nihilominus facultatum causas, actionum Principia, nulla industria ex eorum familia derivare potuimus, utcunque complexionum subtilitate & Materiæ adminiculo quod in illis desiderabatur, resarcire conati sumus. Nulla igitur alia via relicta est, quâ excusari possimus ab hac corporum Anatomia vel analysi. Sed qua methodo, quibus legibus, Anatomia hæc aggredienda est? Principio, *corpora omnia inferioris globi, in tres ordines distribuenda, in Animalia, Vegetabilia, Mineralia.* Individua deinceps horum ordinum diligenter examinanda, & Individuorum partes, sive arte, sive natura comparatæ sint ad humanos usus. Ita inveniemus in singulis ordinibus *illustres trium Primarum differentias. Est enim in rerum familia, Sal animale, Sulphur animale, Mercurius animalis: est Sal vegetabile, Sulphur vegetabile, Mercurius vegetabilis: est Sal minerale, Sulphur minerale, Mercurius mineralis.* Ita ex animalium partibus vel excrementis, sal illud potentissimum

eduximus,

eduximus, quod Nitri vel Urinæ dicitur: ſal Armeniacum quoque. Rurſus Sulphuris proprietates, conditiones, differentias plurimas, in pinguedinibus, medullis, adipe, ſevo, & oleolis animalium partibus deprehendimus. Liquores non ita palam à Natura propoſiti ſunt. Salis Alkali originem ex Vegetabilibus derivatam didicimus: & plurima herbarum ſalia, levi artis miniſterio, proprietatibus diverſa confecimus, Reſinæ, olea, gummata, & pinguia omnia quæ ex Vegetabilibus producuntur, quot, quantas differentias Sulphuris nobis oſtenderunt? Sunt & herbæ quæ ſine omni ſeparatione, ſalis naturam & conditiones vehementer æmulantur, ut chelidoniæ, aron, flammula, perſicaria, urtica, &c. Alia Sulphuris, ut viſcoſæ & pingues, ſerpentinæ, conſolidæ, panaces, Spinoſarum multæ ſpecies: Alia Mercurii, ut boratæ & fugaces, melones, cucumeres, anguriæ, fungi, roſæ, violæ, &c. Eadem in arboribus & fruticibus ratio eſt. In genere Mineralium quid attinet, ſpecies Salium, Sulphurum, Mercuriorum recenſere? Cum in nullo ordine manifeſtius conſpiciantur. Tot enim proprietates, differentiæ, trium primarum in hac familia, tam clarè explicata ſunt, ut nominum prærogativam Philoſophico jure cæteris ordinibus eripuerint. Quòd ſi artificioſa analogia, has corporum proprietates, in inferiori globo animadverſas, Aſtris & corporibus ſuperioris globi, legitimè accommodare poterimus, plurimas difficultates obſcuritate involutas, compendioſa facilitate aperiemus. Cognitis & perceptis hiſce Individuorum differentiis, quæ manifeſtiſſime trium primarum proprietates referre videntur, tum demum artificioſa ſeparatione ignis miniſterio, ſingula individua examinanda ſunt, & ſimiliter Individuorum partes: in Animalium genere, Vegetabilium & Mineralium. Hic apparebit, ex quali Sulphure, Sale, Mercurio, conſtituatur ſanguis animalium, Mumia, oſſa, viſcera, excrementa, &c, Quanta ſit varietas Sulphurum, Salium, Mercuriorum in herbis, Mineralibus: quæ convenientia, repugnantia, differentia. Atque hoc pacto copioſam facultatum ſupellectilem, & corporum infinitas differentias brevi comparabimus: quibus inſtructi, actionum cauſas ſine obſcuritate explicabimus. Nulla eſt enim conſtans proprietas ullius corporis, quæ non vel in Sale, vel Sulphure, vel Mercurio ejuſdem corporis deprehendatur. Hæc vera eſt corporum Analyſis. In hac Anatomia exercitatum oportet eſſe Medicum. De officiis trium Primarum oportunius agemus in doctrina Tranſplantationum & Mixtionum: ibi palam fiet, qua neceſſitate tot & talia,
ad

ad corporum procreationem concurrere oportuit. Nec omnia iisdem locis tradi possunt. Scimus non paucas relictas esse dubitationes: quid mirum? *multa nescientes de multis dubitare necesse est.* Nihilominus, si diligenter hæc examinaverint, quæ hoc Capite, de origine, differentiis, & proprietatibus corporum attulimus, fores Naturæ refertas, magna gratitudine tandem fatebuntur, *Iniquum est Naturæ thesauros temere prostituere*: & exemplum Actæonis absterret. *Qui potest capere capiat: ea enim lege accepimus.*

CAPUT VIII.

De Generatione rerum Naturalium & Mechanica Lithurgia.

ELementorum conditiones, seminum naturam, corporum origines & proprietates exposuimus hactenus: in quibus solida totius Naturæ fundamenta complexi sumus. Tempestivum nunc fuerit explicare, quo pacto hæc Principia ex fontibus suis progrediantur mundanæ Oeconomiæ lithurgiam dispensatura: qua potestate, quibus adminiculis, quo ordine, Generationum constantes leges absolvantur: quo pacto ex tam pusillis & invisibilibus sæpe exordiis, tam vastæ corporum magnitudines procreentur. Differentia quoque Transplantationum & Generationum exponenda. Quæ omnia, quia Mixtionis perpetuo utuntur ministerio, hujus quoque natura, quatenus compendii ratio admiserit, adjungenda. Oportuit sanè hunc Mundum, adumbrata generationum perpetuitate æternitatis imaginem eousque repræsentare, donec exhaustæ fuerint Rationum omnium prædestinationes in mundana Revolutione absolvendæ. Itaque *cum unius corporis vel individui natura, tot officiis satisfacere non potuit, admiranda Creatoris providentia, inventa est corporum renovatio*: ut novorum Individuorum continenti suffectione Rationum proportionati fluxus educerentur. Hæc *corporum renovatio Generatio est, cujus fundamentum in semine consistit, Semen enim in radicali materia fundamentum, continuitatem Naturæ custodit*: cætera corpora, emerita, cruda, fugiunt, ad vacuum festinant, corruptibilia quoque & omnibus impressionibus obnoxia sunt. *Illud verò si*

matricem nactum fuerit, vel locum suæ naturæ convenientem, poteſtate mirabili novum corpus ſibi fabricat, officiis accommodatum. Convenientia loca Seminibus Elementa ſunt. In iis enim foventur, nutriuntur, augeſcunt & abſolvuntur. Corporum quoque Principia, Rationum prædeſtinationibus, Scientiis, Donis, ſuffectura, ibidem ſuppeditantur, & vitali fomentatione perfuſa cuncta ſuſcitantur. *Elementa hoc loco nobis* dicuntur, *communia illa totius* Naturæ *corpora, Terra, Aqua, Aër, Firmamentum: ſed proxima receptacula ſeminalis materiæ*, ſive externa ſint, ſive innata, ſive cavitates habeant, ſive non, ſive ſolida, ſive humida fuerint: ut plurimum tamen humida ſunt, ad ſimilitudinem ſeminum, quæ generationum initiis ſpiritualia & humida eſſe oportuit. Progreſſu temporis ſemina adoleſcentia in propriis provinciis ſimiles Elementorum officinas ſibi conſtituunt, ad imitationem mundanæ Reipublicæ, à quibus fomenta & debita hoſpitii jura repetunt. Itaque omnia videntur propter ſemina facta eſſe, & in iis contineri totius Creaturæ diſpenſationem, ut antea quoque admonuimus. Quæcunque enim hîc alterationes, mutationes, motus apparent, non ſunt niſi fluxus ſeminum, corporum conſumtionibus, reſtaurationibus, tranſplantationibus, viciſſitudines definitas oſtendentium. Nec rectè ſentiunt, *qui Generationum dicunt progreſſionem à non Ente ad Ens, niſi inverſo* Naturæ *ordine, non Entia aſſerere velint ea, in quibus vita, poteſtas, eſſentia, ſcientia, ſtatus & hujuſmodi vigent*: Entia verò, in quibus mortes, infirmitates, defectus, diſtantiæ, imagines, opiniones, motus, & turbulentæ confuſiones deprehenduntur. Fateor *ſemen non eſſe hoc quod poſtea futurum eſt*, fluxu ad maturitatem vel exaltationem terminato: attamen *hæc duo differentiam Entis ad non Ens vix admittent*, ſi Philoſophorum decreta ſequi velimus, non vulgi vanas perſuaſiones. *Quæ nova indies fieri videntur, in ſemine antea delitêſcunt, melliorique vita fruuntur.* Rurſus quæ hîc corrumpi dicuntur, non feſtinant ad non Ens: ſed deſtinatis muneribus abſolutis, ad fontes ſuos recurrunt. *Omnia dona Naturæ, omnis vita, Scientia, immortalis eſt.* Spinoſiores videbuntur hujuſmodi contemplationes rudioribus, & in Philoſophia Adepta non verſatis, nec ad explicationem Generationum operæ pretium aliquod afferre. Sed longè aliter ſe res habet. Duæ ſunt famoſæ dubitationes, quæ naturalium rerum ſcientiam vehementer obſcurant: unde profectæ, quò pergant Formæ, Species, quæ nobiſcum definitis temporum intervallis negotiaturæ, Generationum, Tranſplantationum & Mixtionum miniſterio mundanæ Comœdiæ lithurgiam peragunt.

Utraque

Utraque hic sublata est. Dicimus enim in semine ea omnia vigere, quæ hic generationum & corruptionum vicissitudine fluere & refluere videntur, adeoque *Formam ipsam uniuscujusque rei, esse αὐτοφυὴν, non extrinsecus accedere, non à datore Formarum post Elementorum consentaneam mixtionem infundi*, non à stellarum momentaneo positu in inferiorem naturam derivari, non ex Atomorum fortuito congressu integrari, *sed in ipsis seminibus delitescere: idque variis modis.* Hæc dogmata sunt Paracelsica, à Christiana Religione non abhorrentia, Platonicorum decretis vicina. Quòd si Hippocratis authoritate confirmata sint, quis novitatem accusare poterit? Is, in aureis illis libellis de Diæta, facultates earum rerum descripturus, mensuras, utendi rationes, à quibus sanitates & morbi contingunt, generationum & transmutationum omnium exordia, progressus, divina contemplatione illustravit. Locus est in principio primi libri de Diæta, cujus Capita hic annotare libuit, partim ut comparatione facta deprehendere possimus, quantum defecerit hæc ætas à præclara illa & antiqua Philosophia Hippocratica. Principiò dicit constitui hominem & alia animantia omnia ex duobus facultate quidem differentibus, usu verò & officiorum familiaritate conspirantibus, Igne scilicet & Aqua. Decet enim Philosophum in Generationum doctrina & omnium earum transmutationum, quæ in materia perficiuntur, ac corporeis adminiculis egent, primùm radicem, materiam, fundamentum (quomodocunque appellare libuerit) adducere: in cujus sinu, thesauris, omnia illa continentur, quæcunque ad Generationem vel transmutationem absolvendam necessaria sunt. Multa verò necessaria esse ad Generationis lithurgiam diximus: *Elementa vel Matrices, Semina rationibus fœcunda, corporum Principia.* Singula hæc comprehensibili Donorum varietate instructa sunt. Nihilominus in minima Materiæ portione sensuum testimonio planè similari, omnia illa quantumvis diversa comprehensa, Naturæ divinitatem venerari jubent. Neque temerè vel confusè comprehenduntur: sed vitali & valida planè potestate infallibili Scientia instructa. Documento sunt tam ordinatæ Donorum explicationes. Hanc *Materiam tot officiorum Donis gravidam, nominare difficillimum est, & rursus facillimum.* Difficultatem inveniet, qui uno nomine, thesauros tam divitis naturæ explicare conabitur: nec enim fieri potest. Facilitatem admirabitur, qui tot, tam diversorum nominum appellationibus, unam Naturam obtemperare conspexerit. *Si una dicatur, unitatem intelligit: si multa, multitudinem profert*: si duo, si tria, si quatuor, &c. tot Syros, Parmenones,

ſubito emittit. *Si Elementalis dicatur, Elementa in ſe continet: ſi ſeminalis, ſemina: ſi corporalis, corpora: ſi ſpiritualis, ſpiritus, &c.* Itaque cum dicit Hippocrates, omnia conſtare ex Igne & Aqua, non repugnat ſibiipſi, quamvis in libro de humana Natura, ex calido, frigido, humido, ſicco, corpora omnium conſtituta eſſe pronunciaverit; neque Thaleti, omnia ex Aqua conſtare pronuntianti: neque aliis, qui ex Aqua & Terra rerum origines derivare videntur. Quicquid nominaverint Philoſophi, aliorum vires adeſſe volunt, quæ ad Generationem abſolvendam requiruntur. Sic in libro de Natura humana, ex calido, frigido, humido, ſicco, conſtare hominem dicit, vel ex Sanguine, Pituita & utraque Bile. Elementorum enim proprietates, uſus, officia continent. Neque propterea ſeminum conditiones neglexit, nec Elementa inania ſeminibuſque orbata propoſuit: ſed ubique poſitis Elementis, definita radice, materia, ſeparationes adjungit & ſeminum progreſſiones. Et cum fateatur nihil novi in Generatione fieri, utique intelligit ſemina antea latuiſſe in Elementis quomodocunque poſitis & appellatis. Occaſio omnium errorum hæc eſt. Cum dicit corpora humana conſtare ex calido, frigido, humido, ſicco, multi intelligunt Elementa abſoluta, communia, ſimplicia: ſed perperam. Non enim ex calido, frigido, humido, ſicco, ſimplici vel abſoluto, ſed ex tali vel tali, corpora omnium animantium conſtituuntur. Itaque ex tali calido, frigido, humido, ſicco, ex tali Sanguine, Pituita & duplice Bile, ex tali Igni & Aqua, talia prodire neceſſe eſt, qualia ſunt ſemina, quæ Elementa vel Materiam, Radicem rei, talem vel talem effecerunt. Similiter in tali Sale, Sulphure, Mercurio, talia ſemina habitare neceſſe eſt. *Loca enim, Matrices, Elementa, corpora, ſeminibus conſentanea eſſe debent, alioquin non fiet Generatio.* Sed quid eſt quod in his omnibus conſenſum & conſpirationem fecit? *Quid eſt quod Elementa & corpora, ſeminibus conſentanea & talia reddit? In ſeminibus eſt illa poteſtas: hæc adſciſcunt conſentanea, diſſentanea repellunt, promovent, augent, abſolvunt omnia.* Puſillis exordiis tam difficiles officiorum diſpenſationes adimpleri, quid dubitamus? *Ubi erit Cadaver, congregabuntur Aquilæ.* Hippocrates igitur in libello De humana Natura, cauſas inquirens morborum & ſanitatis, commodius quatuor adduxit Elementa vel Principia, Sanguinem, Pituitam, utramque Bilem, vel calidum, frigidum, humidum, ſiccum. Ita enim abſurda eorum ſententia evidentius redargui potuit, qui dicebant hominem ex uno ſolo conſtare, tam aſpectu, quam facultate ſimplici: alioquin nulla ſubeſſet abſurditas. *Omnis enim multitu-*

multitudo ex unitate proficiscitur. Adeoque toto libello magis considerare videtur Elementa hominis jam absoluti, ex quibus separantur morborum semina prope infinita, quæ tamen ad quatuor illa ubique reducere conatur. At hoc loco nobis proposito ex libro 1. de Diæta, Generationis universam doctrinam proponit: ideoque Elementis paucioribus contentus est. Dicit enim *omnia constare ex Igne & Aqua, vel ex calido & humido, vel ex semine & sanguine materno, vel ex genitura suis facultatibus instructa*: idem enim dicitur in omnibus his loquendi formis. Quænam igitur est facultas horum Elementorum? Τὸ πῦρ (inquit) δύναται πάντα διὰ παντὸς κινῆσαι, τὸ δὲ ὕδωρ πάντα διὰ παντὸς θρέψαι. Ταῦτα δὲ ξυναμφότερα αὐτάρκεά ἐστι, τοῖσί τε ἄλλοισι πᾶσι, καὶ ἀλλήλοισιν, ἑκάτερον δὲ χωρὶς οὔτε αὐτῷ ἑωυτῷ, οὔτε ἄλλῳ οὐδενί. Hoc est: *Ignis omnia universum movere potest, Aqua omnia per tota nutrire. Hæc verò duo sufficientia sunt, tum aliis omnibus, tum sibiipsis: seorsim verò utrumque neque sibiipsi, nec aliis, &c.* Quomodo hæc duo sufficientia dicis, ô Hippocrates? antea apud te legimus ex quatuor Elementis omnia componi. Audi quid respondeat. Τούτων δὲ προσκέεται ἑκατέρῳ, τάδε τῷ μὲν πυρὶ, τὸ θερμὸν καὶ τὸ ξηρὸν, τῷ δὲ ὕδατι, τὸ ψυχρὸν καὶ ὑγρόν. Hoc est. *Cæterum utrique horum hæc adsunt. Igni quidem caliditas & siccitas, Aquæ verò frigiditas & humiditas, &c.* Hæc omnia mutuis officiorum ministeriis vicissim foveri asserit: certisque ponderibus & mensuris, seminalibus Rationibus proportionum terminos definientibus, in generatione confluere. Alioquin nisi ad imperium seminum, quantitates, mensuras & proportiones suas adducerent, omnes generationes tollerentur. Sed qua potestate, tot, tam diversæ seminum progressiones in Natura conspiciuntur? Separationes virtute ea fieri docet. οὕτω δὲ τούτων ἐχόντων, πολλὰς καὶ παντοδαπὰς ἰδέας ἀποκρίνονται ἀπ' ἀλλήλων, καὶ σπερμάτων καὶ ζώων, οὐδὲν ὅμοιον ἀλλήλοισιν, οὔτε τὴν ὄψιν οὔτε τὴν δύναμιν, ἅτε γὰρ οὔποτε κατὰ τὸ αὐτὸ ἱσταμένων, ἀλλ' ἀεὶ ἀλλοιουμένων, ἐπὶ τὰ καὶ ἐπὶ τὰ ἀνόμοια ἐξ ἀνάγκης γίνεσθαι, καὶ τὰ ἀπὸ τούτων ἀποκρινόμενα. Hoc est: *His ita se habentibus, multæ & omnigenæ formæ ac species tum seminum tum animalium à se invicem secernuntur, quæ nihil inter se simile habent, neque visu, neque facultate. Etenim cum nunquam simul in eodem consistant, sed semper alterentur, necessarium est etiam, quæ ab ipsis secernuntur ac producuntur, dissimilia fieri, &c.* Separatione igitur semina in Matricibus quietè delitescentia, digestis temporibus suscitantur, in mundanam Scenam prodeunt, admirabilia Scientia Generationum Corruptionumque fluxus & refluxus moderantur. Hujus Separationis uberiorem explicationem qui desiderat, legat libros Philoso-

phiæ *Theophrasti Paracelsi* Athenienſibus dedicatos. Poſteaquam hæc fundamenta Generationum ſtabilivit Hippocrates, tandem audacius progreditur, inquiens: Ἀπόλλυται μὲν οὐδὲν ἁπάντων χρημάτων, οὐδὲ γίνεται, ὅτι μὴ καὶ πρόσθεν ἦν, ξυμμισγόμενα δὲ καὶ διακρινόμενα ἀλλοιοῦται, νομίζεται δὲ παρὰ τῶν ἀνθρώπων, τὸ μὲν ἐξ ἅδην ἐς φῶς αὐξηθὲν, γενέσθαι, τὸ δὲ ἐκ τοῦ φάεος εἰς ἅδην μειωθὲν, ἀπολέσθαι. Ζῶα δὲ κἀκεῖνα καὶ τάδε, καὶ οὔτε τὸ ζῶον ἀποθανεῖν οἷόν τε μὴ μετὰ πάντων, καὶ γὰρ ἀποθανεῖται; οὔτε τὸ μὴ ὂν γενέσθαι, μὴ ὄντος ὅθεν παραγενήσεται, &c. Hoc eſt: *Nihil fit quod prius non erit, neque quicquam perit, ſed permixta & diſcreta alterantur. Homines verò opinantur hoc ex Orco in lucem auctum generari, illud verò ex luce in Orcum imminutum perire ac corrumpi. Animalia ſunt tam illa quam hæc, nec ullum animal mori poteſt, niſi univerſa pariter corruant: unde enim moriantur? neque quod non eſt generatur, cum non ſit unde generetur*, &c. Diligenter nunc expendat unuſquiſque an-non intellexerit Hippocrates ſeminales illas Rationes Naturæ, in quibus fundamenta omnium rerum, ipſius quoque Medicinæ contineri, toties jam diximus. Ab iis enim Generationes, Tranſplantationes, Elementorum mixtiones, conformationes, nutritiones, augmentationes, & omnes naturales actiones proficiſcuntur. Appellat *Seminum prima diverſoria*, *Elementa*, *Abyſſos*, *Orcum*. Ita Orpheus quoque & priſci Theologi conſueverunt, Tenebras, Noctem, Quietem, Orcum, eadem ſignificatione accipientes. Ita in hymno Noctis Orpheus. Νὺξ γένεσις πάντων, ἡμιθελὴς χθόνια ἠδ' οὐρανία πάλιν αὐτὴ, ἐγκυκλία, ἣ φάος ἐκπέμπεις ὑπὸ νέρτερα, καὶ παλιφεύγεις εἰς ἀΐδην, δεινὴ γὰρ ἀνάγκη πάντα κρατύνει. Et ne vereatur quiſpiam inviſas ibi vigere tenebras, addit ἀστροφεγγὴς κυαναυγή. Deſiderium quoque illius Reipublicæ quibus non infunderet his illicibus, ληθομέριμνε ἀγαθή τε, πόνων ἀνάπαυσιν ἔχουσα, ἡσυχίῃ χαίρουσα καὶ ἠρεμίῃ πολυύπνῳ. Homines arbitrantur, quæ hîc abire, corrumpi, perire videntur, ad tenebras, Orcum, caliginem, feſtinare: Sapientes verò aliter ſentiunt, *relictis tenebris ad lucem & vitam pergere. Quæ huc in Generationem prodeunt, augeri videntur: quæ hinc corruptione abeunt, diminui*. Ita creſcentibus numeris diminuuntur proportiones, & viciſſim auctis proportionibus, diminuuntur numeri. Animalia appellat tam illa quàm hæc, quia in ſe poteſtatem habent conſtituendi & conſervandi animalis. Alibi nutrimentum diſtinxit, in hoc quod nutrit, & quod veluti nutrimentum eſt, tertiò, quod nutrimentum futurum eſt. Tales loquendi formulæ Philoſophis uſitatæ ſunt. Æquum enim eſt, ex Cauſis Effectuum appellationes deducere: *& filii, ut honorum, ita nominum quoque hæreditatem, jure conſe-*

consequuntur. Quin etiam cùm dicat, nullum animal mori, manifestè ostendit, se Animalis appellatione, non hoc propriè intelligere, quod ex carnibus, ossibus, ligamentis, venis, sanguine, nervis, compactum est: sed hujus compositi Speciem, Principium, Causam, Radicem, Semen, Alioquin si una species periret, omnes pariter corruerent. Vacuum enim in Speciebus committeretur, quod longè majus in Natura flagitium est, quàm vacuum in corporibus sive quantitate. Idem planè in libro de humana Natura confirmatur. εἰ γὰρ ἕν τι ἐκλίποι, πάντα ἀναφανισθείη. Quid igitur est *Generatio & Corruptio?* Sunt *fluxus & refluxus seminum, quæ dum fluunt, augentur, minuuntur verò dum refluunt.* Nihilominus horum fluxuum termini in Natura constituti sunt, quorum limites prætergredi non licet. Hanc vicissitudinem rerum multis exemplis illustrat. Πάντα δὲ καὶ θεῖα καὶ ἀνθρώπινα ἄνω καὶ κάτω ἀμειβόμενα, ἡμέρη καὶ εὐφρόνη ἐπὶ τὸ μήκιστον καὶ ἐλάχιστον, ὡς καὶ τῇ σελήνῃ τὸ μήκιστον καὶ τὸ ἐλάχιστον, πυρὸς ἔφοδος καὶ ὕδατος, ἥλιος ἐπὶ τὸ μακρότατον καὶ βραχύτατον, Hoc est: *Omnia divina & humana vicissitudinem habent sursum ac deorsum. Dies & Nox ad summum & minimum. Sic Luna augmenta & decrementa rata custodit. Aquæ similiter fluentes & refluentes, Sol ubi ad augem pervenerit descendendo, ad opposita festinat legis prævaricatione, &c.* Hæc ex prioribus facilè intelliguntur: ab Orpheo in duobus Hymnis, Noctis & Naturæ, confirmata vidimus. Utramque enim circularem appellat ἐγκυκλία καὶ κυκλοτερής. Solem & Lunam augmenta & decrementa vicissitudinesque similes admittere dicit Hippocrates; tamen Individua hæc, corpora perfecta, perpetua, incorruptibilia obtinere, antea confessi sumus. Sint sanè perfecta: nihilominus impressiones admittunt, fluxus, effluxus vitales distribuunt, fructus producunt momentaneos, dissipabiles, corruptioni subjectos. Ita Luna nasci, generari, crescere, decrescere, occidere, rectè dicitur singulis mensibus. Nisi enim congressu, mixtione, confluentia, vitales fluxus & impressiones novas reciperet, virium æquabili potestate, corporis perpetuam simplicitatem æmularetur. Illud argumentum sterile est: Cœlestia si corruptibilia producunt, admittunt, &c. corruptibilia quoque erunt. Nec valent exempla ex inferiori globo desumta. Alius est Generationis modus, & Individuorum insignis varietas. Pergit deinde Hippocrates in expositione vicissitudinum Naturæ & circulari seminum proprietate, inquiens: φάος ζηνὶ, σκότος, ἀΐδῃ, φάος, ἀΐδῃ, σκότος ζηνὶ, φοιτᾷ καὶ μετακινεῖται, κεῖνα ὧδε, καὶ τάδε κεῖσε. Πᾶσαν ὥρην διαπρησσόμενα κεῖνα τὰ τῶνδε, τὰ δὲ τῶν κείνων, καὶ ἃ μὲν πρήσσουσιν οὐκ οἴδασιν, ἃ

ἃ πρήσσουσι, δοκέουσιν εἰδέναι, καὶ ἃ μὲν ὁρῶσι, οὐ γινώσκουσιν, ἀλλ᾽ ὅμως αὐτοῖσι πάντα γίνεται, δι᾽ ἀνάγκην θείην καὶ ἃ βούλονται καὶ ἃ μὴ βούλονται, &c. Hoc eſt: *Lux Jovi, tenebræ Orco, Lux Orco, tenebræ Jovi. Accedunt & transſmutantur illa huc, hæc illuc. Omni tempore tranſigunt illa res horum, hæc autem illorum: & quæ quidem faciunt non ſciunt, quæ verò faciunt, ſcire ſibi videntur, & quæ vident non cognoſcunt: attamen omnia ipſis fiunt per divinam neceſſitatem, & quæ volunt, & quæ non volunt, &c.* Quid Orcum vocet antea dictum eſt. Hîc Jovem opponit Orco. Ita quoque Orpheus Jovem mundanæ Reipublicæ præfecit, ejuſque beneficio ſemina ſive cælo, ſive terris, ſive ponto latitantia mortalibus oſtendi. Ζεῦ βασιλεῦ διὰ σὶν κεφαλὴν ἐφάνη τάδε ῥεῖα γαῖα θεὰ μήτηρ ὀρένωθ᾽ ὑψηχέες ὄχθοι, καὶ πόντος, καὶ πάνθ᾽ ὁπόσα οὐρανὸς ἐντὸς ἔταξε. *Signaturis ſeminum ornata corpora & pulchritudine veſtita, lucis imaginem repræſentant: deflorescentia vero, ſeminumque vigore deſtituta, caligine obducuntur.* Hinc ſeminibus refluentibus, & cœtus mortalium relinquentibus, tenebrarum nomen impoſitum fuit, conſuetudine veritatis Naturam vincente. Perenni hac rerum viciſſitudine, communicatione, conſenſu & amica officiorum conſpiratione, leges mundanæ conſervantur. Etenim quæ hîc in provincia Jovis lucent, ea imitantur, faciunt, abſolvunt, quæ antea in Noctis quieta officina ab Exemplaribus definita, conſtituta & decreta ſunt: viciſſimque quæ ibi vigent, horum fœcunditatem, poteſtatem, agendi modos, vitali continuitate in ævum promovent. Nec laborioſam ſortem obtinuerunt: ſine ſollicitudine, defatigatione, ratiocinatione, dubitatione, penſum abſolvunt, Scientia ingenita vitali, ipſa denique Eſſentia. Tales Scientiæ quia cognitionis conſenſum & conſcientiam non habent, dicuntur non ſcire ea quæ faciunt, & tamen videntur ſcire: operibus enim documenta ponunt divinæ Scientiæ. Rurſus quæ vident non cognoſcunt, quia ſpecierum externa receptione Scientiam ſuam non poſſident. Tandem omnium harum actionum viciſſitudinem & reciprocationum cauſas, divinis verbis adjungit, dicens: Φοιτεόντων δ᾽ ἐκείνων ὧδε, τῶν δὲ τῇ ἐκεῖσε, συμμισγομένων πρὸς ἄλληλα τὴν πεπρωμένην μοίρην ἕκαστον ἐκκληροῖ καὶ ἐπὶ τὸ μεῖζον καὶ ἐπὶ τὸ μεῖον, &c. Hoc eſt. *Omnibus inter ſe ultro citroq; commeantibus & conſpirantibus, unumquodq; deſtinatum fatum explere, limitibus ſuæ Naturæ cuſtoditis:* fierique à ſeminibus omnia per divinam neceſſitatem aſſerit, & quæ volunt & quæ non volunt. Hæc eſt *prædeſtinatio illa à* PARACELSO *toties decantata.* Ab Orpheo ſimiliter in Hymno Noctis adjungitur, δεινὴ γὰρ ἀνάγκη πάντα κρατύνει. Idem Orpheus *Naturam*

appel-

appellat, πεπρωμένην (quo vocabulo utitur etiam Hippocrates) *quasi fatorum legibus ornatam.* In ipsa enim Naturæ essentia insita est lex: estque ipsa Essentia quæ impellit, suscitat, moderatur omnia: & quia innata est, decreta sua validius peragit. *Progredientia semina ad legis imperium, signaturas, Qualitates. Quantitates in Generationis lithurgia proferent, si aliorum seminum confluentium tincturis & impressionibus non impediantur, sic voti compotes erunt.* Validioribus verò tincturis confluentibus, mixtione signaturæ, mutabuntur, fietque quod nòn volunt, seminum Generatione in sterilem Transplantationem conversa. Sed unde quæso corruptiones, alterationes, nutritiones, augmentationes seminum proficiscuntur? Respondit Hippocrates. Φθορὴ δὲ πᾶσιν ἀπ' ἀλλήλων, τῷ μείζονι ἀπὸ τοῦ μείονος, καὶ τῷ μείονι ἀπὸ τοῦ μείζονος, αὐξάνεται δὲ καὶ τὸ τοῦ ἐλασσόνος, &c. Hoc est. *Corruptio omnib. mutuò inter se est majori à minore, & minori à majore: & augescit majus à minore*, &c. Antea ostendimus confluentiam, sympathiam & consensum rerum à seminibus pendere. Fructus enim impressionesque seminum vel Astrorun cœlestium, aëreorum, terrestrium & aquæ, in unam Rempub. conspirarunt, ejusdem Anatomiæ cives: quare societate & actionum grata vicissitudine se invicem mutuò fovent. Pluviæ, cœlestium syderum fructus, terrestribus seminibus benignum nutrimentum tempestivè suppeditant. Ex terræ vaporibus nutriri Mineralia à Philosophis proditum est, Aëreis Astris resolutis, zephyrorum genitali defluxu gravidam fieri terram Astrologi reales confirmant, Itaque fructus Astrorum potentiores, debiliores videntur corrumpere, dum suis legibus & signaturis obedire compellunt, relictis propriis radicibus. Dicuntur autem ea majora Philosophico more, quæ validioribus impressionibus, tincturis, vel qualitatibus excellunt: debiliora similiter quæ mixtione & mutua radiorum conspiratione, succumbunt, potentiorum arbitriis, separationes, alterationes & transmutationes suarum partium concedentes. Quod ubi fit, augentur majora, minoribus corruptis sive immutatis. *Ita Troja crescit Albæ ruinis.* Quæ sequuntur in textu Hippocratis, quia magis ad Generationem, nutritionem & augmentationem humanam pertinere videntur, sequenti Capitulo, in quo peculiariter de Generatione, nutritione, & facultatibus hominis agemus, tempestivius explicabuntur. Hujusmodi loca in scriptis Hippocratis passim occurrentia, si diligenti Mentis judicio conferantur, & artificiosa Analysi actionibus Naturæ, Medicinæque adoptentur: obscuritate sublata, palam facient fundamenta Medicinæ Hippocraticæ à Galeno vel non intellecta, vel impiè immutata fuisse inhumana invidia. *Immensa gloriæ cupiditas*

tas, qua ubique turget, primum arbitrari jubet. Atque hæc est vera & genuina sententia Hippocratis, priscæ Philosophiæ consentanea, & tanto Philosopho digna. *Scio nonnullos qui Galenicum Hippocratem in superbo folio locare conantur, hujusmodi interpretationem strenuè, quoad poterunt, repudiaturos:* quòd si rerum evidentia convincantur, refugium inventuros commune & populare: libros illos non esse genuinos Hippocratis, sed suppositios, Polybii, Thessalii, vel alterius cujusdam docti. *Sed quia neque Galeni censura inter adulterinos relati sint, & dictionem habeant* Hippocrati *usitatam, dogmataque contineant ab eodem Authore, aliis libris iisdem rationibus confirmata:* si libros De natura humana, De antiqua Medicina, De natura pueri, De locis in homine, De carnibus, De alimentis, De insomniis, De morbo sacro, De aëre, aquis & locis, Hippocratis esse confitemur: *hos quoque æquali jure inter legitimos utrque recipiemus.* Ubi Annales temporum evolverimus, Philosophos ejus ætatis Democritum, Heraclitum, Empedoclem, Anaxagoram, Parmenidem, antiquæ, primæ & sacræ Philosophiæ alumnos fuisse apparebis, naturæque penetralia superatis umbris debitè didicisse: quemadmodum & hoc loco Hippocratem fecisse demonstravimus. In summa: nos hunc Hippocratem, Orphei, Democriti, Hermetis, Heracliti, Parmenidis, Platonis decretis insistentem, genuinum agnoscimus. Qui votis & avida inquisitione Hippocratem inquirunt Galenicis hypohesibus magis consentientem, difficultate summa, non sine iniqua Authoris metamorphosi invenient. Exposita nunc universali Generationum doctrina, fontibus & rerum radicibus demonstratis, tempestivum erit, ad singulas Elementorum familias descendere, & in eorum fructibus vel procreationibus, Generationum, Transplantationumque varietatem particulatim declarare. *Nam quemadmodum inter se differunt Elementa hac communia subtilitate, crassitie, mobilitate, pondere, gravitate, penetratione, & semina pariter, in Elementis tanquam in Matricibus collocata: ita quoque Generationum diversitatem locis & seminibus consentaneam, accidere necesse est.* Semina enim terrena, longè alia ratione procedunt ad Generationem quam aquea, aërea, vel cœlestia: crassiore corpore obducta, non ea mobilitate vigent, qua superiorum semina. Itaque tardas habent Generationum progressiones, difficiles mixtiones, & reliquas mutationes his affines. In ipsis quoque procreationibus terrenis, ratione seminum, quædam celeres habent periodos: ad Exaltationem & insequentem declinationem subitò festinant. Alia longioribus intervallis circuitus absolvunt: habent enim, ut magnitudinis, ita durationis quoque innatam legem. Quatuor itaque illustres Generationum differen-

differentias invenimus ratione Elementorum & ſeminum: Tereſtres, Aqueas, Aêreas, Cœleſtes. Nec difficile nobis erit, Elementorum, ſeminum & Principiorum explicata natura, Generationum proceſſus demonſtrare. Inprimis ſeminum vel radicum notionem huic noſtro propoſito congruentem, ex ampla illa Definitione prius propoſita, compendioſè adducemus: cujus miniſterio Generationum mechanicos proceſſus facilius expediemus. *Semen itaque eſt vitale Principium, in ſe continens Spiritus mechanicos & Tincturas universæ Anatomiæ propriæ ſpeciei, quibus ſuum ſibi fabricant corpus, colores, ſapores, qualitates, magnitudines, figuras, & reliquas ſignaturas conſentaneas officiis & prædeſtinationibus prædictorum ſpirituum & rei producendæ.* Quæ omnia quia mundanam provinciam adminiſtrare debent, corpus ſibi conſtituunt Generationi & conſervationi Individuorum aptum, quo contineri & conſervari poſſunt, quod prima materia, Radix, & fundamentum illius rei dicitur. Mirabuntur plurimi, nos more inſolito, Dialecticorum neglectis præceptis Definitiones conſtituere. Iubent enim Materiam loco Generis in Definitionibus collocare: nos inverſo ordine, Differentiam, Formam, τὸ τί ἦν εἶναι, adeoque Eſſentiam loco Generis poſuiſſe. Etenim juxta eorum Methodos dixiſſemus, Semen eſſe corpus ſpumoſum, in quo continetur Spiritus proportione reſpondens Elemento ſtellarum. Item, Semen eſt excrementum reſiduum, alimenti utilis atque ultimi, perfuſum ſpiritu & calore innato. Sed certè confluentiam rerum, & cauſarum connexionem non intellexerunt. Principia, Abyſſos, Radices, Noctem Orphei, Orcum Hippoc. Iliadum THEOPHRASTI, magna Veritatis jactura prætermiſerunt. Quòd ſi catenam auream Homeri, ſocietatemque inviſiblis Naturæ cum viſibili animadvertiſſent, confiterentur utique, *in Principali eſſe hoc quod non eſt Principale, in Continente Contentum, & fluens in eo quod non fluit, Poſterius in Priori, Effectus in Cauſis, Simulachra in Exemplaribus, &c.* Itaque poſtrema corpora ſenſibus obvia, invalida ſunt, ſterilia, mortua: etiam vulgi judicio Seminis appellatio illis negata eſt. Apud Philoſophos tritum eſt, cortices & ſiliquas non gignere. Quid igitur ipſis facultatem continendi, conſervandi, injuſtè tribuimus. Spirituum mobilem, fugacem & momentaneam naturam timentes multi, nullam ſine corporibus Facultatum naturalium adminiſtrationem abſolvi poſſe docuerunt: adeoque in corporibus, tanquam in primis Radicibus & fundamentis contineri omnia. Hi obſurdo timore velut ſomniantes, multa in vanum molientes, cavere nituntur ne aves apertis feneſtris avolent. *Longè alia natura eſt ſpirituum Mechanicorum & ſe-*

& ſeminalium Principiorum. Vincula ſunt viſibilium & inviſibilium, temporalium & æternorum, corruptibilium & incorruptubilium, ſuperiorum & inferiorum. Utriuſque igitur Naturæ proprietates oſtendere debent, ita tamen ut neutrius conditiones purè & exquiſitè referant. Deficiunt enim à puritate, ſtatu, æternitate, poteſtate ſuperiorum: inferiorum mutabilem & momentaneam ſortem longè ſuperarunt. Quin etiam vincula cum ab omnibus dicantur, quibus placet ſecundas cauſas à prioribus gubernari, & Mundum hunc Providentia divina adminiſtrari (nihil enim eſt in univerſo rerum ordine his ſublatis, quod media natura extremis vicina, amica ſocietate diſſentaneas naturas copulare poſſit) poteſtate utique & ſtabili conſtantia vigere debent. Si quid in rebus noſtratibus ſtabile, firmum, conſtans apparet, à ſtabilitate & virtute ſeminalium Rationum deficere neceſſe eſt. Itaque fugæ periculum à Spiritibus Mechanicis, Generationumque Principiis hoc pacto abſtulimus. Fateor ſtabilitate & fuga, quoad nos, inter ſe differre ſpiritus illos Mechanicos: neque enim eodem pacto generari decuit Animalia, Mineralia & Vegetabilia: ſed ſeminum inſignem varietatem obtinuerunt, & propagandi modos ſeminibus accommodatos. *Quòd verò ſæpenumero irritæ fiant Generationes, non ob fugam vel inſtabilitatem ſpirituum ſeminalium contingit: ſed quia Generationum initiis rudimenta corporum tenuia adhuc & invalida conſtituerunt, confluentiis & impreſſionibus aliorum Aſtrorum expoſita, & locorum benigna fomentatione ſæpe deſtituuntur.* In hac lithurgia ſi omnia Generationi adverſentur, corpora primùm fugient, & ad interitum feſtinabunt: ſpiritus verò & Principia in ſuis Abyſſis & Radicibus immobiliter perſiſtent. Si verò moderatiores fuerint impreſſiones, loca non planè inimica, Generationis relicta ſpe, Tranſplantationis conſilium adgredietur Natura, fietque quod non vult, ut cum Hippocrate loquamur. Iuris ſui relicta ſeveritate pacem conficiet, alteri pares, interdum potiores in adminiſtratione Provinciæ partes concedens. Hæc omnia mox in exemplis manifeſtius apparebunt. Sufficiat oſtendiſſe corpora à ſpiritibus contineri & ſuſtentari, hos deinde à Principiis vel ſeminariis Rationibus, Definitionemque à nobis adductam Naturæ legibus conſentire. Quibus appellationes novæ diſplicent, incuſabunt Spiritus à nobis Mechanicos nominari. At certè, *ſi differentias rerum tueri conſilium eſt, licuit, ſemperque licebit, res antea non ſignatas novis nominibus notare. Deprehendimus enim nonnullos ſpiritus artificioſa Scientia non inſtructos, ſine Mechanica arte, nudos vapores, fumos inanes, & fugaces umbras corporum, aliorumque ſpirituum: alios deinde Scientia innata decoratos, & artificioſa Mechanica inſtructos, qui ſaporum, colorum, odorum,* figura-

figurarum, magnitudinis, ordinis & proportionum infallibilem notitiam possident. Tales spiritus Mechanicos contineri in vitali Principio Generationum asserimus: illisque potestatem & agendi robur tribuimus: ex incorporeis & invisibilibus Elementorum thesauris corporea & visibilia producere fatemur. Nec enim sufficiunt postrema & emerita hæc corpora prædestinationibus Rationum in mundana revolutione absolvendarum. Scimus & antea quoque demonstravimus, fructus Elementorum se invicem mutuò fovere: sed hæc fomenta languida essent, jamdudum exhausta, nisi ex Elementorum fœcundis Abyssis, & in Seculi comsumtionem duraturis divitiis, nova in horas corporum prodiret soboles. *Benedictione divina semel repleta in æternum non deficient.* Ex his thesauris, quod desideratur in corporibus jam productis, Elementorumque fructibus resarcient, & ordinata Generationum progressione, decretis temporibus, desiderata & nota augmenta conficient, corporumque diversitatem Signaturis aptè accommodatam adjungent. Aliis enim corporibus colores vestient, aliis sapores, diversis odores, idque subtilioribus, propè spiritualibus, ut tincturis & potenti penetratione crassiorem corporum compagem ornare, ac usibus necessariis idoneam reddere possint. Hæc enim postrema corpora plurimum distantia à *spiritum Mechanicorum subtilitate,* mediis indigebant vinculis, ut continuitate gubernationis communi imperio subjicerentur, adeoque vita fruerentur: quæ vincula, *ambigunt quodammodo inter Naturam corpoream & incorpoream. Corpora tamen sunt, sed spiritualia: & spiritus rursus, sed corporei.* Hujusmodi corpora qua vicinitate spiritibus Architectonicis & Radicibus vel seminariis Principiis proximè cohærent, Primæ Materiæ appellatione à Philosophis insignita sunt. Videor jam in lithurgia abstrusa Generationum versari, & fores Naturæ hac interpretatione plurimis aperuisse. Reliquum fuerit Generationum ordines subjicere, & exemplis abditam hanc contemplationem, quantum fieri potest illustrare. *In globo inferiori, in quo duo Elementa conjuncta conjugium efficiunt, insignes Generationum differentiæ occurrunt,* Animalium, sc. Vegetabilium & Mineralium: quæ seminum & Elementorum varietate Generationum diversos processus obtinuerunt. Quamvis de Mineralibus ambigunt multi, vivant ne & crescant. Item, an vitali semine generentur, vel potius fortuito corporum ac Atomorum congressu cohæreant. Quibus respondimus antea, & mox planiùs responsuri sumus, demonstrata eorundem Generatione. In Animalibus distinctum est semen maris & fœminæ: ideoque mutuo congressu

greſſu junctis ſeminibus concipiunt & pariunt. Generatur verò ſeminalis hæc materia, non in teſticulis, non in cerebro, non in ſpinali medulla, non in partibus ſimilaribus, non in viſceribus, non in ſanguine: *ſed ni balſamo illo animali, in vitali illo Sulphure, in ſpiritu vitæ, in Mumia, in radicali & Prima materia animalium*, de quo plura diximus in ſecundo Capitulo hujus libelli. *Hic Balſamus, hæc Radicalis materia, univerſam Anatomiam totius animantis occupavit.* Nec cordis, cerebri, hepatis, vel teſtium domiciliis clauditur, quamvis & illæ partes ut Principes & Radices, plurima validàque virtute hujus Balſami perfundantur: ſed carnes, ligamenta, oſſa, nervi, tendines, arteriæ, venæ, humores, & quidquid in animalibus continetur, officiis & actionibus accommodatum, univerſa, poteſtate, & præſentia hujus Balſami vivunt vigentque. Ita enim antea docuimus, tincturis & impreſſionibus omnium partium pollere. Ipſa enim earundem ſubſtantias, figuras, ſitus, magnitudines, in prima generatione fabricavit. Hæc ſpiritualis materia imprægnata turget, & Paroxyſmum profert ante fluorum emiſſionem: idque in quibuſdam animalibus ſtatis temporibus. Sunt enim certa quædam tempora in omnibus ferè animalibus, quibus gravidæ hujus materiæ effloreſcentias, & impetus præcedentes, alienata quaſi à ſenſu Mente (tanta eſt fluorum poteſtas) oſtendunt. Hominibus propter Speciei nobilitatem & Individuorum multitudinem in mundana revolutione præfinitam, tempora hujuſmodi non ſunt attributa: Sed hyeme, æſtate, vere, autumno, æquè imprægnatur, turget, floreſque emittit ſeminalis illa materia. Hic flos, verum eſt ſemen Animalium. Principium enim eſt, & continet in ſe ſpiritus Mechanicos totius Anatomiæ potentes, Ex hoc fonte prodit ſemen, quod nec crudum eſt nec imperfectum, ideoque neque digeſtione neque elaboratione egens. *Materia vero ſeminalis, quæ in teſticulis & membris Generationi dicatis continetur, & ipſa non levi poteſtate & præſentia toties jam dicti Balſami viget.* Conſenſum præterea & conſpirationem cum Balſamo vel ſeminali humore reliquarum partium totius Animalis obtinet, eodemque temporis momento floreſcit, turget & Paroxyſmos habet. Sed hanc materiam cruditati & imperfectioni ſubjectam, Generationis membra, elabotatione & debita digeſtione, ad maturitatem producunt. Talem enim teſtam adjungere oportuit ſemini: & corpora illa prima, tam tenera & fluxibilia, à ſpiritibus & Generationum Principiis contineri, cogi & Signaturis partium opportunis veſtiri debuerunt, Alioquin irrita futura eſſet Generatio, idque non ſpiri-
tuum

tuũ & Principiorum fugacitate, ſed corporum imperfectione debilitateque. *Hæc eſt vera ſeminis origo & natura in Animalibus.* Hippocrates quoque ex validiſſima Radice totius animalis, ſemen derivari hoc indicio teſtatus eſt: quia tantilla materia evacuata, tantæ fiant in corpore mutationes, & tanta virium jactura. *Validius autem in corpore nihil eſt Balſamo, vel vitali Sulphure.* Alii dixerunt, & rectè, *ſemen ex toto non mole ſed viribus ſecerni.* Si cui arteriæ qui ponè aures ſunt reſecentur aut exurantur, ſi quis viſcerum principalium imbecillitate vel morboſa diſpoſitione teneatur, huic quoque languere Balſamum & ſpiritum vitæ neceſſe eſt, neque fœcunda imprægnatione ad Generationem floreſcere: multus eſt Ariſtoteles in hoc, ut oſtendat ſemen ex alimento confici. Sed quid miratur? Ex iiſdem nutrimur ex quibus conſtamus. Nutritionis vero modum non ſatis expoſuit. Interpretes & Medici eum ſecuti, quia corporibus facultatum cauſas deteſtando errore aſcripſerunt, alimentum quoque corporeum adhibuerunt. Sed longè alia eſt Nutritionis ratio. Etenim non ſolùm *animalia, ſed plantæ quoque, ſubtiliſſimis ſpiritibus, non corporibus nutriuntur*: ſpiritibus tamen ex quibus coagulatione, in Naturæ lithurgia corpora tandem conſtitui poſſunt. *Spiritus ſunt qui eſuriunt & ſitiunt, qui attrahunt, expellunt, concoquunt, conſumunt, & omnes actiones naturales perficiunt.* Hæc in ſequenti Capite latius explicabuntur. Reprehendunt nonnulli Ariſtotelem, quod teſticulos ad ſeminis confectionem & generis cuſtodiam principatum habere non conceſſerit, ſed melioris duntaxat uſus gratiæ conditos eſſe: eo argumento, quòd quædam animalia, ut ſerpenres, & piſces omnes, ſemen fœcundum profundant, quibus tamen teſtes à Natura denegati ſunt. At certè ſi ſeminis naturam & originem, quam hactenus expoſuimus percepiſſent, varietate Balſami & ſeminalis humoris in animalium diverſis generibus animadverſa, intellexiſſent, quæ ſeminalem materiam obtinuerant craſſam, lentam, externis injuriis reſiſtentem, ut ſerpentes, piſces, Inſecta omnia, in iis teſtium uſum ſupervacaneum fuiſſe. Nec enm verum eſt quod prodiderunt ipſi, ſemen in teſticulis generari: abſurdum eſt quod addunt, formam eam à qua ſemen eſt & appellatur, ex iis prodire. Interdum conjecturis veritatem attingunt: ſed confeſtim in errorum Labyrinthos corporum ponderibus gravati relabuntur, quia Mechanicos rerum, proceſſus neſciunt.

Quæ Animalia ſine manifeſta ſeminis excretione generant, ut purpuræ, anguillæ, ranæ, Inſecta plurima, ea omnia mutuis amplexibus, florem illum

illum Balsami, spiritusque Mechanicos in Matrices & Generationum diversoria demittunt. Ibi materiam consentaneam amplexantur, continent, cogunt, diducunt, formant novam, attrahunt, & omnia absolvunt Generationi necessaria. Quod manifestas vias corporum in his & similibus Generationibus, ac naturalibus functionibus Atomistis demonstrare non possumus, excusamur Hippocratis authoritate; qui consensum & conspirationem Naturæ ubique celebrat, affirmans *nullam viam Naturæ difficilem, omnia patere, etiam per ossa abscessus fieri.* Quis spiritibus & seminariis Naturæ Rationibus fores obfirmare poterit? *Ubi erit Cadaver congregabuntur Aquilæ.* Sunt & animalia, quæ fœcunda multiplicatione, Individuorum copiam producere debuerunt: in iis sinus & diversoria plurima in matricibus & Generationum locis formavit Natura. *Minima enim gutta seminis universam Anatomiam totius speciei continet:* quia spiritus Mechanici & Principia Generationum à dimensionibus & corporum angustiis excipiuntur. Neque existimare debemus in semine partes esse dissimiles, quamvis similari specie repræsententur, ita quod aliud sit corpus cerebri, aliud cordis, aliud hepatis, diversum lienis, pulmonum, ventriculi, carnium, venarum, arteriarum, ossium, nervorum, &c. Sed hanc multitudinem temporis progressu ex uno semine exituram, non mole, non corporum multitudine, æstimari oportet: sed Donorum, Rationum, Scientiarumque varietate, qua pollent spiritus Mechanici. *Tanta est spirituum potestas; ut si Scientiam habuerint cordis, ex alimento attracto cor conformabunt, si cerebri cerebrum, si hepatis ex eodem alimento hepar, carnes, venas, ossa, nervos, arterias, oculos, aures, & universa membra, quæ ad animalis constitutionem concurrere oportet: idque debito ordine definitisque temporibus.* Ea enim perfecta est Scientia, potestate plena, quam in Natura vigere clamant & confitentur Creata omnia. Ita *qualibet herba refert præsentem Deum.* Ita hac Scientia sunt, proportiones, numeri, mensura, quantitates, qualitates, figuræ, Elementa, & tria corporum Principia consentanea: talis Mercurius, tale Sulphur, tale Sal, situs, consensus, ordines, temporum prædestinationes, & omnia quæcunque ad Mechanicam artificiosamque Generationum lithurgiam requiruntur. *Hoc est lumen Naturæ, cujus toties apud* PARACELSUM *mentio fit.* Ob hanc scientiam, Naturam dicebat Hippocrates esse ἀπαιδευτὴν, id est *à nullo edoctam* Æquivoce enim nostra scientia cum illa confertur. Nos sensibus, Memoriis, Rationum deductionibus & multa sollicitudine præcepta ordinate conjungentes, scientias acquirimus; illis inata est, *non veluti*

veluti Accidentia subjectis innascuntur: sed est ipsa earum Essentia. Vita, potestas, ideoque validius agere potest. Nostra mortua est, si cum hac conferatur. De his alibi copiosius agemus. Diversos nunc Generationum modos in animalibus adducemus. *Perfecta animalia ex proprio solùm semine generantur & generant.* Validum quippe semen obtinuerunt, in ævi consumtionem duraturum utcunque Transplantationum calamitosis mutationibus variabili Individuorum sorte in horas agitetur. *Quædam verò animantia ex Parentum semine & ex Putredine,* ut loquuntur Philosophi, æquè generantur, ut mures ex quisquiliis putrefactis, & ex Parentibus apes si Virgilio credimus. Hanc *Generationem & ex Putredine* semen nanciscitur, PARACELSUS interdum appellat *ex Cagastro: alteram verò ex Illiastro. In illis semen est, Vegetabilium naturæ finitimum.* Fundatur enim in Mumia quadam vitali, lenta, tenaci. Ideoque externis impressionibus resistere potest, & ad tempus latere, sive sub dominio alterius seminis, sive in Matricibus sopitis & frigidis: solutum verò, vel externorum Ascendentium radiis excitatum, profert signaturas speciei suæ, animalque constituit: & Scientiæ tam diu occultatæ illustria documenta demonstrans, Naturæ mirabilem potestatem venerari nos jubet: Ita vermiculi in caseis generantur, & crabones in excrementis equorum. *Ab his diversa est eorum Animalium Generatio, quæ consueta non sunt, nec semen in Natura habent stabile, neque ex Parentibus, neque ex Cagastro.* Horum ordine continentur locustarum genera quædam, & eorum Insectorum quæ singulis ætatibus nova & inaudita specie mortalibus ostenduntur: ea quoque Animalia de quibus narrant Avi nostri, nos verò somniantis inscitiæ & credulitatis injustè eos insimulamus, ut Unicornu, Phœnix, & Serpentium quædam fabulosæ species, multorum arbitrio. Ab horum explicatione quia Mundanæ Anatomiæ limites excedunt, hoc loco excusamur. *Generantur & Animalia quædam non ex proprio semine, sed ex seminibus diversorum Animalium confusis commixtisque, quæ tamen naturæ societate conspirantia, iisdem temporibus ad Generationem impetus habent,* Ut equus & asina mulum, canes & lupi, perdices & gallinæ: de quibus commodius in Transplantionum doctrina, quam mox subjungemus, agetur. Qui plura de his rebus cognoscere voluerit, & Naturæ hanc varietatem, utili & honesta contemplatione accuratius perscrutari, Pliniū. Aristotelem, Theophrastum, & reliquos Philosophos consulat. Nostri non est instituti Historias Animalium hoc loco enarrare: sed fundamentis Generationum propositis, & seminis explicata natura, Exempla hæc, clarioris doctrinæ

causa, adjunximus. *Semen* itaque, quale descripsimus, *utero conceptum*, vel locis Generationi consentaneis, *vivit. Vitalis enim Balsami, Mumiæ, Sulphuris, &c. portionem obtinuit. Motu quoque manifesto vitæ inditia ostendit.* Contrahitur enim, & in globum cogitur, vitalique pulsu, quamvis exiguo ac tantulo semini proportionato movetur, alimentumque spirituosum attrahere incipit. Matrices interea contrahuntur, & amico favore arctissimè semen complectuntur. Tum vero Scientia & Dona spirituum ordinate explicantur: Elementa constituuntur ex alimentis consentanea, signaturis debitis ornata, ex quibus tria prima corpora, cordis, cerebri, hepatis, venarum, arteriarum, ossium, ligamentorum & cæterarum partium separantur. Non quia in Elementis tales jam contineantur partes vel partium portiones, non quod ex ossibus, venis, arteriis, nervis, ex corde, cerebro, hepate, Elementorum exordia profecta sint: neque quod in semine contineantur totidem spiritus ex similibus Parentum partibus derivati: sed quia tot talesque Scientiæ, in Generationum Principiis & *Mechanicis spiritibus latent. Ii enim ex iisdem Elementis, cor, cerebrum, hepar, nervos, venas, arterias, ossa, conformare noverunt*: quemadmodum, ex eodem pane canis canina membra producit, homo humana, & cætera animalia similiter. Nec propterea confundimus Patientium & Agentium consensum. Scimus, & ubique requirimus alimenta, Elementa, corporum Priucipia domestica. Sed hoc tueri consilium est, numerum, substantiam, situm, conformationem & signaturas omnes, non ex Maria, sed ex Efficiente proficisci. *In minimis & abjectissimis animalibus tanta Naturæ mysteria indies celebrari, quotusquisque non admiretur?* Etenim totius Universi creationem æmulantur, ex invisibilibus propemodum Principiis, vi Scientiæ innatæ & Vocis, Elementorum familias primùm disponunt: Mox trium Principiorum, tot, tam diversas proprietates, officiis destinatis accommodatas separando, partes constituunt debitis figuris ornatas: idque ordinata proportione, definitis temporum spatiis. Asserunt nonnulli *similares partes, ex seminis materia produci: ali verò & augeri ex materno saguine illabente.* Quibus jam sæpe respondimus, negantes corpoream & nimis materiatam seminis naturam. Ipse Hippocrates, & Aristoteles quoque, materiam illam, seminis testam esse confitentur, & spiritibus moveri incipientibus, in membranas, putamina, & tegumenta cogi. Crassior enim est, quam ut alimentum primum esse possit spiritibus. In prima siquidem compositione & genitali motione, Elementa sibi adsciscunt, & tria Prima, subtilissima, tenuissima,

prope

prope invisibilia: ex quibus, progressu temporis, solidiora & magis corporea constituunt. Primis enim corporibus præparatis, & idoneis signaturis qualitatum insignitis, eorum ministerio solidiora adjungunt. Jam rudimenta viscerum apparere incipiunt, locis separata: jam canales adjunguntur per umbilicum utero alligati, vel vasa his finitima iisdem usibus accommodata: jam solidori alimento per dictas vias attracto cuncta benignè nutrita augentur ad justam & desideratam fœtus absolutionem. Hæc omnia copiosius clariusque in Generatione humana mox proponentur. Ad *Vegetabilium Generationem* accedamus. Horum *Generatio manifestior est. Balsamum enim obtinuerunt non ita spiritualem, sed magis corporeum & sensibus obvium.* Semina eorum corpus habent viscosum, lentum, & crassum. Et quamvis antea declaravimus, spiritus illos Generationum authores à corporibus non contineri, sed continere potius corpora: nihilominus usitatis loquendi formulis utimur, & posthac sæpè utimur. Hos enim labores iis destinavimus, qui Philosophorum profundas & insuetas locutiones nondum capere possunt. Itaque vulgato more dicemus, spiritus Mechanicos, Generationum Principia in talibus vel talibus corporibus contineri. Etenim videntes corpora, & animata esse conjectantes, quia vivant, vitales que actiones edant, haud sine ratione spiritus vitales Animam ipsam haberi à corporibus dicimus: idque in Vegetabilibus & Mineralibus manifestius cônspicitur. In iis enim spiritus architectonici, cum corporibus, sed non crassis illis & externis, conjugium fecerunt constans & duraturum. Ideoque Animam esse in corpore putamus. Verum si Anima videretur & sentiretur, si spiritus illi oculti sub aspectum caderent, vitæ copiam, potestatem & Scientiam corpora undique complectentem, & usque ad extrema æqualiter se porrigentem, terminosque corporibus constituentem, animadvertentes, utique in corporibus esse Animam spiritusque vitales negaremus: sed viciffim corpora ab his haberi, contineri & gubernari. Hanc admonitionē non his solùm inquisitionibus, sed & aliis nostris contemplationibus communem esse volumus. Interpretationum varietate, nominum copia & claritate, λογομαχίας quo ad possumus fugimus. Diximus seminalem materiam Vegetabilium, in corporibus crassis & solidioribus habitare: idque collatione facta ad Animaliū semina. Hæc *corpora non sunt illa externa*, crassa, concreta, quæ sensibus obvia sunt: *sed interna spiritualia.* In corporibus tamen, quæ actionibus Artificum subjiciuntur, in quibus vigent virentque Δυνάμεις Hippocraticæ Chærionia PARACELSI, in quibus colorum

rum & saporum virtutes, imò colores & sapores ipsi proximè fundantur. *Atque hæc est prima Materia Vegetabilium in quo delitescunt spiritus Mechanici totius Anatomiæ uniuscujusque speciei potentes. Continetur verò Materia talis in Anatomia totius Plantæ, in radicibus, surculis, stolonibus, foliis, caulibus, floribus, & in ipsis fructibus ac seminibus proprie dictis.* Quia hæc omnia benignitate Balsami & Mumiæ perfruuntur. Sed tamen in quibusdam particulis, quæ testium analogiam obtinuerunt perfectius præparatur, tutiusque conservatur adversus externarum impressionum injurias, tales partes seminalem materiam propagatione traducunt. *Nam ut Animalibus, ita in Plantis quoque diversi sunt propagationum modi. Quædam enim seminibus vel granis, rotundis, oblongis, trigonis, quadratis, &c. propagantur: quædam surculis,* ut vites: ramis, ut salices, Populus: radicibus, ut bulbacea ferè omnia, allium, porrum, cæpe, pæonia. *In nonnullis Gummæ & Resinæ effluentes semen & vitale Principium custodiunt*, ut in lilio & equapio narrat THEOPHRASTUS. *Plurimæ avulsione*, ut Brassica, Ruta, Ocimum, &c. *Spontanea etiam Plantarum generatio ad Naturam maximè accedit.* Vitale enim Principium in his Matricem occupavit constantem, terram ipsam. Itaque anniversariam fructuum, foliorum, caulium, & similium partium dispensationem statutis temporibus proferentes, debitum Naturæ persolvunt, cœlestiumque syderum Revolutionem imitantur. Verisimile quoque est sponte provenisse omnia: nisi ea quæ Transplantationum industria & urbana cultura usibus necessitatibusque humanis inventa sunt. Ita nascuntur herbacea omnia. *Quædam non nisi in aliis nascuntur*, ut viscum, Agaricus. Polypodium & in terra & in arboribus innascitur. *Sunt & Plantæ quæ radice, semine, caule, avulsione & sponte proveniunt.* Hanc fœcundam Generationum naturam efficit vitale Principium, corpori eoque robusto, firmo conjugio devinctum: Transplantationum quoque & culturæ facilem obedientiam. Ita enim semina Vegetabilium à Natura condita sunt, ut actionibus sensibilibus hominùmque arbitriis submittantur. Qua providentia vivendi duram necessitatem mortalibus mitigavit: de quibus in Transplantationum doctrina mox agetur. Tempora horum seminum ortus & emersiones diversa sunt. Quædam enim Vere, quædam Aestate, quædam Autumno germinant, pariuntque, citius nonnulla, alia tardius. Confluentiam Naturæ admirabitur, qui certorum syderum ortu occasuquè impetus hos in Plantis contingere animadverterit. Hinc Decretoria sydera vitium, oleæ, frugum, arborum, ab antiquis scriptoribus appellata sunt illa,

quæ

quæ iisdem temporibus oriuntur vel occidunt, hoc eſt, matura fœcunditate fructus ſuos emittunt, quibus dictæ Plantæ turgent, vitali eorum Principio, Balſamo, ſeminali materia floreſcente, & ad germinationem impetus ciente. *Iis enim temporibus impreſſiones facilius recipiuntur, quia aperta ſunt omnia, radiiſque patentia.* Quæ enim latent, radiorum impreſſiones non recipiunt, nec confluunt. Hæc Naturæ myſteria diligenter addiſcere oportet. Nam præterquam quod Sterilitatum cauſas & prædictiones demonſtrent, etiam in Morborum generationibus, temporibus, & circuitibus, plurima obſcuritatibus & erroribus involuta manifeſtè explicant. Conferentes enim externorum ſeminum habitudinem, tempora & Aſcendentia, cum internis ſeminibus in corpore noſtro latentibus, quæ ut plurimum externis conſentiunt, veras cauſas anniverſariorum morborum inveniemus. Et ita explicari debet tertius liber Aphoriſmorum Hippocratis, non ex imaginariis humorum fluxionibus. Poſtremò, *loca idonea requiruntur in Generatione Vegetabilium.* Hic ſegetes, illic veniunt felicius uvæ. Sunt etiam Plantæ quæ peregrinari non volunt, ut de Sylphio loquitur. Ita vitis amat colles: Salix, populus, lyſimachia, perſicaria, Aquas; trifolium, ſatyrion, herba Paralyſis, Prata: thymus, origanum, chamæptis, polium, Montes, &c. His omnibus amicè conſpirantibus proſpera ſuccedet Generatio. *Quæ ſemina propagantur, locis conſentaneis recepta foventur, & cuſtodiuntur, quouſque tempora germinationis, ortus aſcenſionis, adfuerint.* Tum verò corticibus & putaminibus diſruptis alimentum copioſius craſſiuſque attrahunt. Antea enim per occultas vias ſpirituale propemodum nutrimentum hauſerunt. Ipſa quoque ſemina Naturæ providentia alimento ad digeſta uſque germinationis tempora ſuffecturo, donata ſunt. Cujus præſidio (quamvis ocioſa videantur, inania & mortua) cuſtodita, tarda digeſtionum tempora patienter expectant. Interea digeſtione & fœcunda fermentatione, vitale Principium corroboratum fructuum felici multiplicatione, ſomni quietiſque diuturnitatem juſtiſſimè compenſat. Nam quæ ſubitò ad germinationem feſtinant, neglecta fermentatione, evanida fructuum progenie, feſtinationis pænas luunt. Ita Hyemes optavit ſerenas Virgilius, ut frigoris beneficio ligata ſemina, robuſta fermentatione vires ſumerent, ac radicibus deorſum jactis, alimentum haurire inciperent, priuſquam à calore evocaretur germen. Elementa nunc conſtituuntur domeſtica, conſpicua varietate diſtincta quæ antea occultis differentiis ſoli Scientiæ notis deliteſcebant. Nunc verò deſtinatum officium

explentes tribus corporum Principiis, ex quibus universæ partes constituuntur, fomenta Donis & Scientiis suffectura abundè suppeditant. Delitescebant & hæc quoque Principia fœcunda unitate seminis vel Scientiæ comprehensa, nec ulla varietate sensibus manifesta, antea deprehendebantur distincta: nunc verò Generationis progressu, proprietates & Donorum varietates quæ in seminum Principiis continentur, ostensura, manifestis corporum differentiis explicantur. Atque hoc pacto ab Elementis illis communibus corporum Principia distinguntur. *Illorum enim officia communiora sunt, & Materiæ rationem obtinent: horum verò proprietatibus & actionibus destinata, mirabili proprietatum potestate vigent:* Nihilominus *in dissolubili nexu ita Elementis corporum Principia cohærent, ut Naturæ legibus nunquam: vix ulla Artis industria, idque non perfecte, separari possint.* Quia verò constantiam & soliditatem requirebant corpora, in mundanam scenam praditura, *Principio tali opus erat, quod coagulatione corporibus opportunam soliditatem tribuere posset: id Sali officium obtigit.* Hujus beneficio Christalli congelatio, Metallorum robur, Adamantis durities, ossium, carnium, arteriarum, viscerum, arborum, herbarum consistentiæ absolvuntur. Alii Elementorum frigiditatibus & caloribus, multa in vanum molientes hujusmodi officia temerè adscripserunt. Salis est illa proprietas, virtus, Scientia, Donum, non frigoris. Salium Anatomiam investigantes, Coagulationum differentias deprehendimus: frigiditatis verò Anatomia sterilis est. Porrò, nisi plura adjuncta fuissent corporum Principia, soliditate, & concreta salium proprietate ligati spiritus Mechanici, Actionum Principes, officiorum injusta committerentur dispendia. *Adjunxit idcirco Natura Principium, quod copiosa, pingui, viscosaque substantia, Salis propositam congelationum benigna commixtione temperaret. Sulphuris officium id fuit.* Adhuc desiderabatur tertium, *quod assidua irrigatione, duo priora, actionum frequentia, ad siccitatem & senium in horas festinantia, foveret, fluidaque & labili substantia mixtionem* omnium facilem redderet. Hac necessitate adjunctus est *Sali & Sulphuri Mercurius.* Tria hæc corporum omnium Principia, officiis, proprietatibusque plurimum disjuncta, unam similaremque corporum substantiam sensibus exhibent: tanta est Mixtionis virtus: actionum tamen diversitate, Artis beneficio, sæpe ipsius Naturæ, hæc tria distinguuntur, & separata sensibus repræsentantur. Miscentur autem non solùm corporum Principia, sed etiam Elementa: non corporea illa postremaque, verum spiritualia & Prima; in quibus Dimensionum penetrationes locum non habent: idque spiri-

ſpirituum Mechanicorum virtute, de quibus mox latius in Mixtionum & Tranſplantationum comtemplatione. Huc nos avexerunt trium Principiorum officia, ut obligatam ſolveremus fidem. Pollicebamur enim in doctrina Principiorum nos in Generationum attificioſa lithurgia, neceſſitatem & conditiones eorundem demonſtraturos. Nec dubium eſt, quin adhuc contradictiones & dubitationes multæ relictæ ſint; quas omnes, vel plurimas certè explicare poſſem, niſi Compendii ratio obſtaret: & *lege Philoſophica cautum eſſet, ut & ipſis Diſcipulis quædam ſint relicta tædia. Ita enim probantur ingenia, ac idonea redduntur Philoſophorum Scholis. Ad propoſitam contemplationem revertamur. Semina in ſuis Matricibus, fermentatione, digeſtioneque roborata,* & alimentorum benigno affluxu conſtitutis Elementis & Principiis, iiſque poteſtare Spirituum oportunè mixtis, validioris alimenti neceſſitas aſſiduè incumbit. Itaque Radicum rudimenta, fibris & meatibus, umbilicorum vaſis ſimilibus, conſtituuntur. Jam folia, caules procedunt: jam ſtipites, fructus, ſemina, & reliqua omnia ſignaturis ſuis ordinatè veſtita, Scientiam Naturæ, hominibus oſtundunt. Fœcunditatis & multiplicationis cauſam, hoc eſt, cur ex uno grano tot proficiſcantur, Hippocrates, ut & alia multa præclara ad hanc doctrinam pertinentia, clariſſimè demonſtravit in libello de Natura Pueri, his verbis. Πολλὺς ἐξ ὀλίγου διὰ τόδε γένεται, ὅτι ἕλκει ἕκαστον, τῶν φυομένων ἐκ τῆς γῆς, δύναμιν πλειόνα, ἢ ἐξ οὗ ἐγένετο. καὶ ἐκ ζῇ οὐ κατὰ ἓν ἀλλὰ κατὰ πολλά, &c. Hoc eſt: *Ex paucis multa contingunt, quia univerſa terræ naſcentia copioſiorem virtutem ex terra attrahunt quàm ſecum à Parentibus attulerunt: deinde, quia non ſemel efferveſcunt, ſed ſæpius, &c.* Reſtant Mineralium generationes à prioribus plurimum differentes. Non enim ſeminis beneficio, Individuorum propagatione ſpeciem cuſtodiunt: ſed ſemina eorum & ſpecies in ſeminariis Naturæ Rationibus vigent: ab illis deſtinatis & præſcriptis temporibus prodeuntia, terminum Naturæ expectant, ſine ulla liberorum hæreditaria ſucceſſione, quorum miniſterio æternitatem æmulari poſſent. Nihilominus ſpecies eorundem non defecerunt, nec in ævum deficient. Conſervantur enim in Nocte illa Orphei, Scientiarum & vitæ ubertate repleta, in Illiaſtro THEOPHRASTI, in ſeminariis Naturæ Rationibus, in Orco Hippocratis, in locis & Elementorum beatis receſſibus, ubi ſine defectu & ſolicitudine deſtinatum expectant fatum, ſingula ſuis temporibus: quibus inſtantibus, vitalibus Principiis & ſpiritibus Mechanicis comitatæ Mundanam Provinciam ingrediuntur, loca & alimenta conſentanea petentes. Hæ Generationes difficulter

difficulter ab iis comprehenduntur *qui Cabalisticos fontes non degustarunt, & in Philosophia adepta etiamnum cæcutiunt.* Quibus ut hîc multa candidè communicavimus, ita in Contemplationibus nostris de Vita longa, harum rerum obscuritatem sine invidia aperiemus. Nihilominus & horum generationem prætermittere hoc loco non licet. Nam sine hujus notitia, demonstrari non possunt novorum morborum generationes, ut morbi Gallici, Pestis, sudoris Anglici, prunellæ Ungaricæ, & cæterarum Epidemiarum. Scio plurimos Mineralium generationem fortuitis externarum causarum efficientiis ascribere, non internis & seminalibus Principiis. Vitam quoque ab universo hoc genere, eodem errore abstulerunt. Si maturitatis tempora considerassent, si Paraxysmorum ratas periodos, si Venarum ordinatas progressiones, corporum consentaneas compositiones, saporum, colorum tam efficaces virtutes: vitam, aliaque viventium symptomata, ætatum discrimina, cruditatis & maturitatis tempora, morborum & mortis necessitatem, & his utique concessissent. Deficiunt enim, & singulis ætatibus nova prodeunt: quamvis multa mortales lateant. Si Principia ostendunt vitalia Scientiis & Donis instructa, idque proprietatibus tam multis, tam potentibus, neque vita, neque Scientia hujus comite, destituentur. *Semina eorum in suis Abyssis delitescentia ubi digesta tempora expleverint, cum spiritibus Conjugium ineunt:* cum spiritibus dico, ex quibus corpora tandem constitui possunt. *Qui quamvis initio invisibiles sunt, corporum tamen Principia, Elementa, & ornatum omnem in se continent.* Sed quo pacto, loca, matrices & domicilia opportuna invenient? *Novit equus præsepe suum. Avis nidum:* & exemplum Aquilæ sæpe adduximus. Vires superioris Naturæ, Scientiæ Rationes ubique penetrant, ubi confluentiam invenerint, Anatomiæ suæ rudimenta constituentes, Donorum varietate Scientiæ abditam majestatem proponunt, lætanturque se in vanum non venisse: præsertim si quod volunt Generatione absolvere possunt, sine aliorum resistentia. Matricibus & locis nunc repertis, corporum visibilium magisque concretorum commercium admittunt, alimentumque attrahere incipientes, vaporosos fumos pro spiritibus ostendunt. Tunc verò Elementa constituunt, non communia illa, sed Mineralibus propria: corporum quoque Principia similiter, hoc est, Sulphur minerale, Sal minerale, Mercurium mineralem, ignem mineralem, Aërem mineralem, Aquam mineralem, Terram mineralem. Quibus absolutis, coagulationes, colores & qualitates omnes, quæ in vitalibus eorundem Principiis vigebant, proferunt, metalla-

que

que demonſtrant, vel mineralia his finitima. Nec majus eſt artificium in formis & figuris Vegetabilium ſive Animalium, quam in colorum, saporum, odorum, coagulationum, actionum, proprietatum (quæ in his præcipuè vigent) ordinata explicatione. Æquè enim mirari licet *colorem Saphyri*, *duritiem Adamantis*, *perſpicuitatem* Chryſtalli, *pulchritudinem Auri*, *ac organa veſpertilionis*. Quinetiam in his formæ naturales non ſunt prætermiſſæ. Aliis enim formis coagulationes Vitriolatorum, aliis Marchaſitarum, aliis Nitroſorum, aliis Chryſtallorum, Berillorum, & Adamantis repræſentantur. Eſt & hęc inſignis proprietas in generatione Metallorum, quòd ſemen obtinuerint commune hermaphroditicum, multis Speciebus conſentaneum: quæ ratione temporum, locorum, & aliorum Aſcendentium in generationis adminiſtratione confluentium, ſuperatæ vel ſuperantes, ſpecierum individuas ſignaturas conſtituunt, & peregrinorũ affinitate nativas familias deſerentes, regreſſus faciles, difficileſque experiuntur. Animalium perfectorum ſemina, ſexuum diſtinctione ſeparata diximus: Inſectorum verò obſcuris ſexuum notis contineri. In *Vegetabilius*, quamvis maris & fœminæ teſtimonia ſæpe deprehendimus, *nihilominus in univerſum ſemen eorum Hermaphroditicum conceſſimus*. At vero *in Mineralium ſemine non ſolùm ſexuum non explicatam varietatem*, *ſed etiam Individuorum, etiam Specierum, in uno eodemque ſemine unica Principia magna* Naturæ *poteſtate admirati ſumus*. Hac de cauſa Generationem habent Tranſplantationi vicinam. Etenim ſi loca occupaverint immundo Sulphure, ut loquuntur Philoſophi, turgida, immundas Metallorum ſpecies producent, plumbum, ſtannum, ferrum, cuprum, Sulphurum & Salium admixtorum indolem oſtendentes. Horum Aſcendentium impreſſione, mutantur ſeminum Elementa & corporum Principia, novaque conjugia admittunt. Quòd ſi loca invenerint non ita valida externorum Aſcendentium poteſtate repleta, vel conſentaneorum virtute perfuſa, fiet quod volunt. Alimentorum amica ubertate nutrita, Elementa conſtituent, & corporum Principia. Occulta deinde & vitali Digeſtione, coagulationes, colores, perſpicuitates, & reliqua Donorum inſignia abſolvent, Individuaque perfecta hoc pacto proferent. Hæc eſt Generatio Auri & Argenti: cujus operoſitatem occulto quodam ſenſu, ut arbitror, olfacientes mortales, inſaturabili & impia fame, æqui & iniqui neglecto diſcrimine, univerſas Naturæ leges confundunt, ut alimento tam exquiſitè præparato, tandem potiantur. Sed juſto Naturæ decreto ligatum alimentum, poſſeſſoribus benignum, & vitale fomentum denega-

vit: multis desperatam tabem attulit. Gemmarum originem, quia Metalla videntur esse transplantata, posthac aperiemus. Quæ verò propriè Mineralia dicuntur, ut Sales, Alumina, Sulphura, Vitriolata, Thermæ, & his finitima, ab iisdem fontibus ortus sui primordia ducentia, eodem quoque pacto ad Generationem procedunt. In his novarum Generationum illustria exempla deprehenduntur. Efflorescentias quoque habent, & Paroxysmos Cœlestium fructibus & Generationibus non dissimiles. De quibus plura in eorundem expositione adducemus. Eadem est ratio arenarum, lapidum, glareæ, sabuli, cretæ: quamvis & ipsa Metalla Mineraliaque omnia, horum corporum & similium adjuncta habeant rudimenta, tanquam siliquas & cortices in quibus delitescunt. Nec prætermittenda est Aquarum & Fluminum generatio. Quæ & ipsa Principia habent, seminaque: sed sine conspicuis saporum vel odorum virtutibus. Ideoque corpora obtinuerunt, Elementorum conditiones potius quàm seminum referentia: ut in corporum differentiis annotavimus. Qui singularum specierum proprietates exactius cognoscere voluerit, libros THEOPHRASTI PARACELSI de Generatione Mineralium perlegat: item de Procreationibus Elementi Aquæ. Ipse quoque Fodinas, Thermas, & Salium naturales officinas accedens manifestius externa rerũ accidentia, dispositiones, & conditiones conspicatus, majori cum fructu, causas & invisibilẽ Naturæ lithurgiam postea cognoscet. Atque hæc de Procreationibus inferioris globi dicta sufficiant. Superioris verò globi generationes longè aliter se habent. Neque enim Animalium generationi assimilantur, nec seminibus recurrunt anniversariis, nec corporum tarditate fructus remorantur: & cum ad generationem procedunt, fructus edunt instabiles. Itaque proprias habent generationum leges. De Cœlestibus imprimis agemus. Facilius enim demonstrantur quia corpora obtinuerunt sensibus obvia, in quibus fructuum dispensationes absolvuntur. Et *humana ingenia ita sunt affecta, ut ubi corpora visibilia desiderantur, ibi virtutem potestatemque Naturæ protinus silere arbitrentur*: quare Aëreas generationes difficilius assequuntur. Diximus antea, *in Elemento cœlesti* vel Firmamento, *Individua perfecta contineri*: *in quibus partium dissimilis confluxus, dissolutionem non molitur*: *sed stabili vigore in ævum persistunt.* Nihilominus *vitali spirituum copia vigent*: ex quibus statis temporibus *fructus produci possunt, iique corporei. In inferiori globo etiam perfecta quædam Individua vidimus, ut* Gemmas, Aurum: *sed in his corporum vinculis ligati spiritus, actionum potestate, vitæ argumenta demonstrare non poterant.* Cœlestia

lestia verò fructuum assidua dispensatione viventium officia demonstrant. Tempora quoque digesta (vitæ infallibilia signa) in his deprehenduntur. Silent enim & fermentatione spirituum, vigorem promovent, donec ad exaltationem & maturitatem pervenerint. Tum verò evacuantur, & spirituali ac invisibili, sed copiosa fœcunditate, in Aëris capacitatem delabuntur (*Unumquodque enim Elementum, non in propria, sed in peregrina regione parturit*) Ibi Scientiæ & Donorum varietatem explicant, consentaneis corporum vestimentis induti. Quamvis autem seminalem materiam in fructibus non relinquant, veluti terrena: nihilominus in suis thesauris, vitale Principium Scientiis & Donis instructum in ævum possident, fructuumque fœcunditate præscriptis temporibus recurrunt. Hæc Principia, hæ Scientiæ, proprietates & differentias cœlestium fructuum constituunt. Ita *quædam stellæ, ventorum generationibus destinantur*: in quibus Scientiæ & spiritus Mechanici, talium corporum productrices latent. Inter has, aliæ Australes producunt ventos, aliæ Boreales, aliæ Orientales, aliæ Occidentales. Quæ ut motuum diversitate, ita corporum quoque proprietate Scientiis & Principiis analoga, dissident. Et quamvis, colorum, saporum, & odorum signaturas non repræsentent: consistunt enim in superficiebus, quæ tales qualitates sensibus exhibere non possunt: nihilominus impressionum efficientia testantur, & hæc, & alia virtutum insignia sibi non esse denegata. Caliditates, frigiditates, humiditates, siccitates, sensibus occurrentes, multos deceperunt, ut his nudis qualitatibns, actionum & proprietatum causas attribuerent. Ita Austri *βαρήκοοι, νωθροὶ, καρυβαρικοὶ, διαλυτικοὶ*, ab Hippocrate dicuntur, non quia humidi & calidi: sed quia corpora eorum, proprietatibus Opiatis, Cicutarum, Solanorum, &c. instructa sunt. Antea enim diximus in fructibus cœlestibus etiam Melissas, Cicutas, Papavera, Mandrogoras, contineri. Formæ sunt dissimiles: actionum proprietatumque conspiratio, apud Philosophos similitudinem conficit. Rursus Aquilonis proprietates adjungit. *ἢν δὲ βόρειον ἢ βῆχες, φάρυγγες κοιλίαι σκληραὶ, δυσουρίαι φρικώδεες ὀδύναι πλευρέων στηθέων*: Non quia frigidus & siccus: sed quia corpora Aquilonis proprietatibus berberizatis, acetosis, Acatiarum, imbuta sunt. Et quantumvis evanidi videntur venti, manent tamen iis vestigia Donorum & divinæ Scientiæ: quod proprietatibus hisce, & motuum certis progressionibus demonstratur: Rursus stellæ sunt pluviarum, grandinum, nivis, fulgurum, tonitruis, serenitatis, turbinum, tempestatis & reliquorum Meteororum: in quibus

I 2 vitalia

vitalia Principia & Mechanici spiritus eorundem fundantur, suisque temporibus ad Generationem procedunt. Sunt enim certa tempora omnium Astrorum, in quibus ad maturitatem perveniunt & fructus emittunt. In Luna manifestum est, singulis mensibus nova generatione fructus profert Parentum seminibus & impressionibus similes. Sic Plejades, Arcturus, Canis, Orion, sua habent Plenilunia & Interlunia. Quædam his in anno, orientia, scilicet & occidentiā effervescentias habent & fructuum dispensationes. Quædam semel, ut Zodiaci signa. Nonnulla sæpius, ut & alia tardius. Quædam repentinas habent efflorescentias, ut Martialia sydera omnia: quædam verò moderatas: alia tardas. Rursus, quædam continuè efflorescunt: quædam verò certis Paroxysmorum repetitionibus. In his omnibus propemodum fructibus, quia saporum vel odorum manifesta discrimina non animadvertuntur, Elementorum proprietates magis repræsentantur, quàm trium Principiorū idque ob salutem Animantium. Nam quæ sydera proprietatibus pollent, Principiorumque naturam æmulantur, ubi efflorescunt vel oriuntur, morbos Epidemicos leviores vel graviores producunt. Horum perniciem tarditate ortuum benigniorumque confluentia mitigavit Natura. Quamvis tales resolutiones ad novarum generationum classes commodius referantur: de quibus in doctrina Transplantationum. De his plura habetis in libris Meteororum PARACELSI: Et nos in Astrologicis Commentariis, de motuum & maturitatum Proportionibus, exactius aliquando hæc omnia interpretabimur. Aëreæ generationes planè sunt similes: quùm debiliores occurrant & moderatiores. Quamvis autem *in Aëris regione non conspiciantur Astra; nihilominus & ibi stabili sede imposita esse vitalia generationum Principia, destinatis temporibus fructuum dispensatione effervescentia, præterquam quod rata & immobili Naturæ Providentia confirmetur, quæ singula Elementa Astris & seminibus ornavit, nec quicquam in rerum ordine vacuum vel deforme passa est, etiam fructuum resolutiones testantur.* Sunt enim venti, tonitrua, pluviæ, mannæ, thereniabin, rores, &c. quæ à potestate cœlestium Meteororum, manifesto discrimine sejunguntur. Eodem pacto Astra vel semina inferioris globi, ut Mineralium & Vegetabilium radices, præter dictas generationes, in quibus seminum progressione corpora constituunt seminibus ornata, etiam alias resolutiones cœlestibus aëreisque similes obtinent. Ex quibus terræ motus, fluxus & refluxus marini, venti nonnulli Provinciales, & Meteora omnia, quæcunque ex superiori globo demittuntur, etiam hinc generationum exordia sumere pos-

possunt. Idque non obscura potestate. Quippe in generatione Lunæ, ad cujus Interlunia, Plenilunia, Quadraturas, maturitates plurimorum syderum regulantur, & hæc inferiora Astra Tincturam imprimere possunt efficacem. Ex his quoque Resolutionibus, Sterilitates, Pestes, Endemii morbi, sæpè Epidemici dependent. Sed ne instituti nostri immemores, latius quàm compendii ratio admiserit vagemur, universam hanc contemplationem, brevi verborum formula complectentes, finem huic Capiti imponemus. *Itaque Generationem esse progressionem seminum asserimus : In qua, ex fontibus, abyssis & vitalibus Principiis, ordinata corporum explicatione, in hanc Mundanam scenam, definitis temporibus, progredientia, Individuorum Renovatione. Specierum perpetuitatem custodiunt : fierique in hac lithurgia, ex invisibilibus visibilia, ex incorporeis corporea, potestate vitalis Immortalisque scientiæ in universa Natura vigentis. Cujus efficientia Elementa & corporum Principia officiis consentanea, colores, sapores, odores, caliditates, frigiditates, humiditates, siccitates, magnitudines, situs, conformationes, consensus durationes, digesta tempora, & omnia corporum ornamenta, admirando ordine producuntur : Diversos quoque Generationum esse Modos ratione Elementorum & seminum : Adeoque in quibusdam plane neglecta esse Sexuum discrimina : In nonnullis obscura Rudimenta apparuisse : In aliis verò Sexuum perfecta separatione Individuorum proprietates manifestius explicatas.* Nunc voti memores *Genium quieto silentio placabimus. Cras ingens iterabimus æquor.*

CAPUT IX.

De mixtione & hujus comite transplantatione.

Quicunque de Mixtionis natura, subjectis, progressu, terminis, cæterisque conditionibus hactenus differuerunt, Elementorum, Seminum, Principiorum proprietatibus, & Generationum legibus non satis antea comprehensis: eorum decreta usque a leo sunt obscura, dubia, incerta, falsa, puerilia, ut misericordiam potius quàm reprehensionem mereantur. Ii enim neglectis Naturæ operibus, dubitationes attulerunt extraneas, & Mixtionum modos proposuerunt, de quibus spiritus Mechanici Mixtionum authores nunquam somniarunt

niarunt. In angustias primùm reduxerunt Naturam, sola corpora & famosas illas Qualitates, Caliditatem, Frigiditatem, Humiditatem, Siccitatem, proponentes. His jactis fundamentis, ociosis dubitationibus, & terminos non habentibus, inquirere cœperunt: an corpora, id est, Substantiæ Elementorum, ut ipsi interpretantur, vel Qualitates, id est caliditas, humiditas, frigiditas, siccitas, totæ totis permiscerentur. Quibus certaminibus tanquam Sisyphi saxis, ingenia nostra hactenus exercuerunt, & multorum etiamnum exercent. Vidi ego Philosophos quorum tecta nive cooperiebantur, qui universam vitam in his nugis consumserant: & tamen saxum in vertice collocare non poterant. Certè puerilius de multis disserebant, quam ii, qui Philosophiæ titulos sibi non vendicarunt. Quòd si ratio uniuscujusque verbi ociosi reddenda est, quanta illis restabunt debita, qui vitam his usuris iniquè traducunt? Tales Quæstiones multas deprehendimus in tota eorum Philosophia & Medicina. In proposita verò dubitatione, post multas ambages, hæc sententia principatum obtinuit: Substantias καθ' ὅλου non misceri: Qualitatum vero consummatam esse mixtionem. Mixtionis autem rationem hoc pacto explicarunt. Quatuor illas simplices Mundi Naturas, id est, Elementa paribus quodammodo viribus confluere: deinde se invicem in exiguas, non autem minimas portiones distrahere, eoque se ordine componere, ut sibi invicem arctissime cohærescant, nihilque sensu notari possit, quod non ex quatuor earum portionibus constet: Qualitates verò totas totis permisceri, & mutua quadam repugnantia, sese vicissim ad moderationem redigere, fierique illarum confusione Temperamenti genus per universam Compositi molem diffusum. Huic Temperamento omnium Facultatum naturalium causas ascripsit Galenus: & uniuscujusque rei proprietatem, ex tali vel tali caliditatis, frigiditatis, humiditatis, siccitatis temperie proficisci, turpissimo errore prodidit. Operæ precium est examinare fundamenda hæc, ex quibus universa Medicina Galenica constituta est. Etenim actionum Principia, morborum causas, remediorum facultates, compendiosa subtilitate hinc derivantes, Artem posuerunt Methodorum adumbratione superbam. Primum itaque cum *Mixtio motio sit quædam, motorem addere oportebat. Nihil enim fit sine causa. Si Elementa se invicem ad Mixtionem movere dixerint, quæremus porrò, qua potestate tales facultates suis elementis concedant*: simplicibus enim corporibus simplices motus congruunt. Deinde quibus internuntiis tam justis & consentaneis ponderibus ad Comitia confluant. Quibus mensuris, portiones illas exiguas non autem minimas, dissecant. Qua justitia positiones Anatomisticas absolvunt. Rursus, si *Qualitatum ministerio Substantias componi*,

poni, mensurari, & justis legibus confluere voluerint, in multas obscuritates & desperatas difficultates incidere eos necesse est. Quippe Qualitatum originem & naturam non intelligunt. Nec enim satis est, quòd definiant Qualitates esse, secundum quas tales esse dicimur: vel, per quas Substantiæ efficaces sunt: vel, in quibus contrarietas viget: vel, in quibus intensiones & remissiones admittuntur. Sed originem, naturam, proprietates, differentias, actiones Qualitatũ declarare, hoc verè Philosophicum est, & Medico inprimis necessarium. In summa motorem adjungere oportet, *Principium vitale Scientia instructum, Formam, Speciem, semen, Astrum, quomodocunque appellare libuerit: cujus potestate & infallibili Scientia tam divina Mixtionis officia administrari possint.* Hoc est illud Principium, quod antea Generationum omnium fundamentum & radicem demonstravimus. Hujus Scientia & vitali potestate semina ex Iliado in mundanam Anatomiam, ex Orco in Lucem prodeuntia, Elementa & corporum Principia domestica sibi ipsis constituunt, eaq; ponderibus & mensuris soli Scientiæ notis permiscent, Idque non corporum mutua appositione: spiritualia enim adhuc sunt, dimensionumque legibus non subjecta: non Qualitatum discordia & inimica contrarietate: familiaria enim cum sint tam Elementa quam corporum Principia, amica societate confluunt. Sed vitalibus Tincturis per omnia penetrantibus omniumque virtutes secum ducentibus, & validis vinculis universa componentibus. Hæc vincula qui ignorat, Vitæ potestatem non didicit: quia Mortis Anatomiam solam exercuit. *Qui mortem cum Vita copulare voluerit, mortuisque rebus Vitæ officia attribuere in vanum laborabit.* Sed relictis eorum placitis, Mixtionis necessitatem & naturam exponemus.

Quia Donorum varietates, & proprietatum differentiæ, quæ in vitalibus seminum Principiis unitæ latent, in Mundana Anatomia explicari debuerunt, & ex unitate in multitudinem progredi: diversis quoque Elementis, ac corporum Principiis opus fuit: quæ tamen diversa & multa manere non permisit Naturæ solertia. *Cuncta enim viventia, vita unitate, Principia, & Exemplaria sua imitantur.* Itaque Mixtionem molita est Natura, & diversarum rerum, sed conspirantium, unionem. Subjecta Mixtionis sunt Elementa, & corporum Principia, ex alimentis virtute & Scientia Mechanicorum spirituum producta. Nam *tum primum Mixtio fit, cum ex incorporeis corpora, sed planè spiritualia, conficiuntur. Estque Mixtio Elementorum inter se, Elementorum cum Principiis, Principiorum inter se, & omnium simul.* Tum multa primis Proportionum progressionibus unita conjunguntur. Alimento deinde copiosiore attracto, Mixtiones quoque continenter progrediuntur. Ita fiunt compositiones & Mixtiones multæ. Elementa

menta enim ac Principia corporum, à ſpiritibus vitalibus Mechanicisque, in horas conſumuntur: aſſidua proinde opus eſt reſtitutione, mixtione, & compoſitione. Rectiſſimeque ab Hippocrate dictum reperio, *nutriri nos ex iiſdem ex quibus conſtamus, & Generationem nutritione continuari*. Sunt & alii Mixtionum modi, de quibus copiosè egimus in libello noſtro, De Mixtione & rerum Confluentia: ubi corporum Principia, Elementa ac Radices rerum diſtinximus, in *Perfectas ſive primas, & Corruptibiles ſive ſupervenientes*: Ex quibus *tres Mixtionum ordines confecimus. Aut enim miſcetur perfectum perfecto: aut corruptibile vel impurum corruptibili: aut perfecto corruptibile.* Longè enim alia Mixtio prodit ſi perfectum perfecto, id eſt, purum puro, quàm ſi impurum vel corruptibile impuro vel puro miſceatur. Quantum enim inter ſe diſtant ſubjecta, tantum etiam diſtabunt uniones, termini vel durationes. *Pura enim puris permixta, longa habent digeſtionum tempora, priuſquam ad diſſolutionem perveniant. Impura confeſtim ad interitum feſtinant, ſerius ocius, ſecundum ſubjectorum* analogiam. Etenim *Elementa & Principia Animalium, tempora habent durationum à Vegetabilium & Mineralium Elementis Principiiſque plurimum diſtincta*: hæc rurſus à Procreationibus ſuperioris globi. De corruptibilibus Radicibus, Elementis, Principiis, earumque Mixtione cum puris, copioſius agemus in morborum Generationibus: mortis enim Anatomiam, & morborum continet.

Expoſuimus nunc Mixtionum neceſſitatem, ſubjecta, terminos, diverſoſque modos: diximuſque non communia illa & pervulgata Elementa, ſed propria & unicuique radici conſentanea, in Generationum lithurgia commiſceri. Id felicius contigit, ſi alimenta ratione locorum, & externorum Aſcendentium in Generationis progreſſu confluentium, opportuna fuerint: ſi Tincturis & facultatibus validis deſtituta ſpiritibus Radicum vel ſeminum obtemperaverint. *Ita enim conditiones Elementorum magis imitabuntur quam ſeminum.* Quod ſi alimenta validis Tincturis imbuta fuerint: ſi ſeminum proprietatibus viguerint: ſi δυναμάς Hippocraticas, Chærionia THEOPHRASTI, oſtenderint: ſive locorum vel matricum ratione hoc contigat, ſive diverſorum ſeminum confluxu, ſive externorum Aſcendentium validis & Chærioniis impreſſionibus: miſcebuntur quidem hæc, niſi planè diſſentanea fuerint nulla ſocietate cum Radicibus conſpirantia: ſed ſignaturæ variabuntur, fietque quod non volunt ſemina. Tales Mixtiones pro Generatione Tranſplantationem conficiunt. Eſt enim Generationum ſymptoma Tranſplantatio, omnibuſque Generationum ordinibus accidit. In genere Anamalium perfecta quæ ſexuum diſtinctione ſeparata ſunt difficulter Tranſplantationem ad-

mittunt

mittunt: & hoc non omnia: solummodo illa in quibus magna est seminum & Naturæ affinitas, idque non nisi seminibus permixtis, ut lupi, canes, equi, asinæ: perdices, gallinæ, &c. Hujusmodi Animalia Radices habent magna Naturæ societate conjunctas. Quapropter spiritualia eorundem Elementa, corporumque Principia, Mixtionem admittunt, sed non perpetuam. Diximus enim subjectorum ratione, terminos Mixtionum breves vel diuturnos evadere. Ita quod ex congressu talium Animalium nascitur, sterile ut plurimum existit, ut muli. Elementa enim & corporum Principia, quæ permixta primam compositionem fecerunt in eorum Generatione, non tam stabili lege ligantur, ut durare possint ad seminis constitutionem: sed paulatim dissolvuntur. *Vitalia enim Generationum Principia, quia incorporea sunt, Mixtionem omnem respuunt.* Hoc est quod dicunt Philosophi, Species rerum non misceri. In genere Insectorum, cæterorumque Animalium, in quibus sexuum discrimina manifesta non apparent, frequentiores & faciliores contingunt Transplantationes. Seminalia enim eorum Principia, multarum specierum Scientia instructa, æquivocas Generationes admittunt. In Vegetabilibus & Mineralibus, Transplantationes, quasi comites Generationum existunt. Ut autem in his facilius intelligi possit Transplantationum ratio, observandum *alias esse Transplantationes Individuorum, alias verò Specierũ. Individuorum Transplantationes dico, in quibus manente Radice signaturæ mutantur*, ut colores, sapores, magnitudines, figuræ, &c. ita tamen ut maneant etiamnum imperium Radicis & familiæ suæ certa signa quamvis vehementer immutata referre possint. Hujusmodi Transplantationes in omnibus contingunt Generationibus, locorũ, temporum, & externorum Ascendentium ad Generationem conspirantium efficaciâ, & proprietates Individuæ naturæ constituunt durabiles vel momentaneas, secundum impressionum virtutes. *Specierum verò Transplantationes intelligo, ubi omnibus signaturis immutatis novæ familiæ insignia manifestè repræsentantur.* Non quòd vitalia & invisibilia seminum Principia, quæ Species, à Philosophis propriè dicuntur, confundantur, sed quòd Elementa & corporum Principia Mixtioni subjecta, alienas recipiant signaturas, quæ non continebantur in Scientiis & prædestinatis Donis suorum Principiorum. A validioribus causis fiunt hujusmodi Transplantationes, Quod enim primam Elementorum Principiorumque compositionem, adeoque Radicem & Primam materiam immutare debet, valida Tinctura præditum sit, oportet. Neque hoc satis est. Nisi enim Scientiarum &

rum ſocietate, Elementorum quoque & Principiorum familiaritatem obtinuerint ſemina vel Aſtra prædicta, ut Generationis, ita Tranſplantationis, pariter deſtructum erit conſilium. Quapropter in Vegetabilibus cum ſemina ſint plurima, in quibus multorum Individuorum (quæ ſenſuum inditio ſpecie quodammodo differre videntur) Scientiæ & prædeſtinata Dona conjungantur, non mirum eſt ſi levi momento in novas familias tranſeant. Sic Syſimbrium in Metham, Rapam in Raphanum, Imperatoriam in Angelicam, Triticum in Lolium, Ocimum in Serpyllum degeneraſſe, & multas hujuſmodi Tranſplantationes conſpeximus. In quibus omnibus ſemina videntur æquivoca, quæ multorum Individuorum ferè omnibus proprietatibus diſſidentium Principia eſſe poſſunt. Sic in ſemine Tritici Forma Lolii deliteſcit, ſed miniſtra, æquivoca, accidens: quæ ſi externa ſubſidia nacta fuerit, contemto imperio, non miniſtri, ſed domini munia obibit, id eſt, ſecundum ſuam prædeſtinationem Scientiamque omnia moderabitur, ſuaſque ſignaturas inducet. Eodemque modo in Syſimbrio Menthæ rudimenta latent miniſtrantque, quouſque Syſimbrii Elementa, Principia, imperium robore vitalique poteſtate obtinuerint. Quòd ſi aliorum Aſtrorum radiis confluentibus, Menthæ exordia incrementa ſumſerint robuſta, dominabitur Mentha, ſervietque Syſymbrium. In Rapa & Raphano ſimiliter, & cæteris omnibus. Hæ Tranſplantationes, hac ætate multas oſtenduNt herbarum ſpecies, & aliarum quoque rerum ac Antiquis incognitas, *Individuorum Tranſplantationes in Vegetabilibus uſque adeò ſunt frequentes, ut hinc nominis uſuram receperint Philoſophi.* Ita cicurantur agreſtes, mitigantur ſapores, mutantur colores, maturitatis tempora accelerantur vel retardantur, totaque Natura arbitriis Mortalium ſe ſubmittens, utili delectabilique varietate nos recreat. Tempora quoq; obſervare oportet in Tranſplantationibus. Generationum enim definitæ ſunt periodi, in quibus efflorescentiæ & impetus ſeminum Indicatorios dies demonſtrant: quæ ſi negligantur, Tranſplantationes irritas efficient. Neque enim Animalium tantum eſt ad coitum aviditas, ut inquit Plinius: ſed multo major eſt terræ & ſatorum omnium libido, quam tempeſtivè uti plurimum intereſt conceptus. Sic mala, cotonea, pruna, poſt Brumam tempeſtivè tranſplantantur: Mora, ante vernum æquinoctium: cæraſi, amydalæ circa Brumam. Iis enim temporibus, cum mutua ſit in inſitis cupiditas utrinque coeundi, faciliores fiunt amplexus, ſeminalibus Tincturis Germinatione excitatis. Tum vero radicum rudimenta fibris demittuntur:

fibris

fibris dico, in quibus valida trahendi poteſtas ineſt. Atque hoc pacto ex alieno alimento ſuum faciunt. Loca quoque opportuna in Tranſplantationibus requiruntur, ſive ſemine, ſive inſitione adminiſtrentur: *neque enim omnia ex æquo Matricis analogiam habent. Mineralium ſemina quia hermaphroditica ſunt*, & multis Individuis, ſpecie quodammodo differentibus, communia, *æquivocas Generatione obtinuerunt*, i. e. Tranſplantationi permixtas. Gemmæ etenim ſpecifica Tranſplantatione producuntur, validioribus Tincturis occupata prima communiq; Metallorum Radice; idque receptis antea Individuis Metallorũ ſignaturis. Ita *ex radicibus plumbi tranſplantatur Adamas, ex radicibus Lunæ ſapphyrus, ex radicibus Veneris ſmaragdus, ex radice Martis Berillus, &c.* Individuæ verò Tranſplantationes Metallorum, ubique conſpiciuntur in Metallis, Marchaſitis, Sulphuribus, Salibus, Thermis. Quin etiam artificioſæ Tranſplantationes Salium, ut aluminis, vitrioli, ſalis nitri, ammoniaci, Sulphurum, antimonialium, cupri, ferri, plumbi, ſtanni, Naturæ mirabilem poteſtatem ſatis oſtendunt. De quibus copioſè & doctè in multis locis differit PARACELSUS. Poſtremò ſuperioris globi Generationes Tranſplantationibus quoque frequenter implicantur: idque ſi iiſdem temporibus ad maturitatem pervenerint, & radiorum ſocietate conſpiraverint: fiuntque fructuum vel Individuorum ſolummodo in his Tranſplantationes, ſcilicet alteratis fructibus vehementia, frequentia, copia, diuturnitate, vel his contrariis accidentibus. Maturitatis tempora eodem modo promoventur, & mira varietate errores contingunt, Aſtrologorum judiciis difficultatem injicientes. Quæ inexplicabiles planè redderentur, confluentibus impreſſionibus inferioris globi hactenus imcomprehenſis, mutationeſque inſperatas ſæpè adducentibus: niſi Planetarum, Principaliumque ſyderum, quorum poteſtate temporum viciſſitudines conſtituuntur, naturæ proprietates, digeſta maturitatum tempora, Generationum modi, Anni quoque univerſales conſtitutiones, tam ex inferioris globi quàm ſuperioris reſolutionibus pendentes, laborioſa experientia, & ſubtili juditio certis legibus tandem comprehenderentur. Magnas inſuper Conjunctiones, & Eclypſes, mirabiles Tranſplantationes, & nobiſcum durabiles, adducere cui non eſt manifeſtum? Cauſam facile inveniet, qui prædicta diligenter examinaverit. Cometarum ſimiliter origines, & inſolentium Meteororum, Tranſplantationi aſcribimus. Sic Aſtrorum ſilentium & occultorum reſolutiones, ſive Mundanæ Reipublicæ legibus aſtrictæ ſint, ſive ſuperioris familiæ Oeconomiæ, ſæculorum

mutationes, novas Generationes & rerum omnium ſeneſcentes Tranſplantationes efficiunt. Quibus Mundana Provincia obtigit, in Elementorum abyſſis, ſilenti obedientique deſiderio prædeſtinata expectant tempora: tum demum reſolutione valida, ſæpè amara, novam faciem rebus mortalibus inducunt: durabileſque fiunt vel momentaneæ Tranſplantationes, ſecundum Aſtrorum naturam & Tincturarum potentiam. De his plura utique dicerem, niſi diſſuaderet is, cui obtemperare conſilium eſt. Urticarum vicinitas præcocibus Roſis ſæpè ſpem floris abſtulit. At tamen in novorum morborum expoſitione liberalitati locus erit. Diſperſos nunc Centuriones in ordinem revocantes, acie inſtructa dicemus: *Mixtionem eſſe ſeminum ad Generationem procedentium inſtrumentum: Cujus miniſterio Elementa & corporum Principia domeſtica ſeminibus colligata, unitatem ſuorum exemplarium æmulantur, variariaque Mixtionum uniones ratione ſubjectorum. Spiritualia deinde corpora veram Mixtionem à penetrationis dimenſionum periculis expeditam conſtituere: Idque vitali virtute Mechanicorum ſpirituum. Tranſplantationem Generationi, interveniente mixtione accidere, communemque eſſe Generationum omnium ordinibus, ſive levioribus Tincturis Individuæ Naturæ proprietates immutentur, ſive validioribus Specierum ſignaturæ Tranſplantatæ novæ familiæ inſignia demonſtrent. Poſtremo validiorum occultorumque Aſtrorum reſolutiones, Tranſplantationes tam potentes comitari, ut novarum Generationum appellatione vigorem Principiorum declaraverint.* I puer, veſtimenta ſuſpende: fluctibus ſuperatis leniori poſthaç utemur remigio.

CAPUT X.

De generatione humana & tranſplantationibus generationi ſupervenientibus.

FUndamenta Mundanæ Naturæ poſuimus. Æquum nunc eſt *humanam Anatomiam* aggredi; non illam ſolùm quæ cadaverum ſuperſtitioſa propemodum diſſectione, ſitus & nudas partium conformationes ſcrutatur: ſed longè *magis vitalem*, *quæ origines*, *proprietates ſingularum partium*, *Scientias*, *& agendi poteſtates inquirit*. Primùm itaque vitalis Principii ſeminiſque natu-

naturam adducentes, Mechanicum processum ad Generationis œconomiam adjungemus. Elementa quoque & corporum Principia humanæ Naturæ consentanea, Mixtiones radicales & supervenientes, nutritiones, conformationes, signaturarumque omnium absolutiones, quæ proprietatibus Radicum cohærent, qua possumus brevitate adjicientes, Generationis humanæ contemplationem absolvemus. Neque fastidiosa repetitione singula quæ de seminibus, Elementis, corporum Principiis, Generationibus, Mixtionibus, & Transplantationibus hactenus demonstrata sunt, replicabimus, sed Naturæ operibus, tanquam illustribus vivisque exemplis, veritatem omnium confirmabimus, obscuritatem illustrabimus, prolixitatemque brevitate compensabimus. Diximus antea *vitale Principium humanæ Naturæ, in materia quadam radicali fundari, in Balsamo scilicet animali, in Sulphure, Mumia vitali, cujus perpetuo conjugio denitetur, Mundanæque Reipublicæ perpetuus civis, propagatione individuorum, corporumque renovatione æternitatem æmulatur.* Quæ ad supercœlestis corporis Naturam, proprietates, copulationem cum Naturali, durationem, &c. attinet, in Commentariis de vita longa, commodius explicabuntur. Hic enim naturalis corporis affectiones scrutamur, in quo vitalia Principia humanæ Naturæ & Mechanici spiritus tanquam in solida radice in seculi consumtionem duratura, fundantur. Hæc prima materia, quamvis spiritualis quodammodo sit, si primæ materiæ Vegetabilium vel Mineralium comparetur: nihilominns Tincturas in se habet potentissimas, in quibus tanquam in Mechanicis spiritibus Scientię omniũ partiũ humanæ Anatomiæ delitescunt. *Neque locis inter se distinctæ jacent hæ Tincturæ*: Sunt enim Astra, sunt spiritus, in quibus corporũ dimensiones & distantiæ non admittuntur. *Quamvis autem confusæ videantur, differentias nihilominus proprias, inviolatas conservant.* Argumento sunt tam ordinatæ explicationes. Talis radix, Tinctura, Semen, Balsamus, Mumia, Astris opportunis vestita universo corpore humano viget, quamvis partiũ diversitate signaturas variet. Id quod Hippocratem non latuit: Asseruit enim in libello de locis in homine: ὅτι τοῦ σώματος τὸ σμικρότατον πάντα ἔχει ὅσαπερ καὶ τὸ μέγιστον. Et paulo post: ὅτι ἐν τῷ σμικροτάτῳ, πάντ᾽ ἔνι τὰ μέρεα. Itaque *non in testibus, non in cerebro, non in spinali medulla propriè consistit semen, sed in Mumia, Balsamo, vitali Sulphure, quod per universum corpus dispergitur, suoque favore omnia complectitur.* Testes verò corpus semini idoneum præparant, cujus beneficio ab externis injuriis, tanquam in testa, illæsæ custodiuntur spirituales Tincturæ Generationis authores, donec nutrificatione & definita dige-

digeſtione corroboratæ, ſignaturis & partibus interea abſolutis, in lucem tutò prodire poſſint. Hæc materia, quia cum ſpiritibus & Tincturis ſeminalibus magna familiaritate confluit, & ſymptomata omnia, quæ ſeminum efflorefcentiis contingunt, in Anatomia teſtium tam manifeſtè oſtendit, multos ſeduxit, ut arbitrarentur in hac ſola totam ſeminis poteſtatem contineri, & tamen non obſcura ſymptomata in univerſo corpore conſpiciuntur in dictis effervefcentiis. Fœmineum ſexum tali Balſamo, Mumia, vitali ſulphure, ſemine, deſtitui abſurdum eſt. Et rationes eorum qui id aſtruere conantur futiles ſunt. Qua ratione ad Paroxyſmum, ebullitionis efflorefcentiam, turgorem, excitetur ſeminalis Mumia, manifeſtum eſt. Fruſtra tamen, & in vanum ab externis cauſis excitatur, niſi geminationum interni impetus concurrant. Quibus concurrentibus, & debitè omnibus conſpirantibus ſemina maris & fœminæ utero excepta, mutuo amplexu miſcebuntur (ſpiritualia enim ſunt, conſentanea, ab una eademque Radice profecta, iiſdem Donis, Scientiis, ſignaturis inſtructa) uterusque contrahetur, & arctiſſimè claudetur, tam amico & deſiderato recepto hoſpite. Tanta eſt Matricum & ſeminum naturalis confluentia. Et quia Mechanici ſpiritus, Tincturæque radicales, vitalis caloris copioſam ſupellectilem ſecum adduxerunt, motum utique in utero eorumdem ſpirituum confeſtim oſtendent, obſcurum tamen & tam puſillis exordiis ſufficientem. Itaque cordis ac arteriarum officia ſtatim aderunt, vitalique pulſu, aëreum ſpiritualeque alimentum, juxta virtutem, Scientiam, & poteſtatem Mechanicorum ſpirituum attrahent: idque per occultas vias. Tum vero ſpiritualibus Tincturis in centrum collectis, craſſiorem ſeminis materiam tanquam teſtam, undique ſibi obducent, & paulatim, in membranas tranſmutabunt. Jam rudimenta viſcerum locis opportunis ordinatè diſpoſita apparere incipient. Hiſce temporibus, Elementa, & corporea ſingularum partium Principia, ex alimentis augmenta ſuſcipiunt, ac novas Mixtiones, quarum virtute ſpiritualia in corporea tandem transformantur: Hanc Generationis divinam adminiſtrationem, Hippocrates docta profundaque interpretatione perſecutus eſt, in libello de Diæta. Ubi generalem quoque Generationum omnium, & ſeminum naturam, quam antea ad mentem ipſius expoſuimus, propoſuit. Obſcuritatem explicatione tollemus, locumque aſcribemus ob cauſas ſupradictas. Poſteaquam oſtendiſſet Hippocrates ſeminum progreſſionem ex Orco in Lucem, fluxumque Generationum & Corruptionum univerſali doctrina declaraſſet, ad

ad hominis descendit Naturam, inquiens: Τὰ δ' ἄλλα πάντα καὶ ψυχὴ ἀνθρώπου καὶ σῶμα ὁμοῖον ἡ ψυχὴ διακοσμέεται. Hoc est, *Et alia omnia, & Anima hominis, corpus vero Animæ consentaneum fabricatur, &c.* Principia illa vitalia, Radicales Tincturas, Mechanicos spiritus, in quibus scientia, vita & potestas viget ψυχὴν appellat, alibi θερμὸν, ut in libro De carnibus, hîc sæpè πῦρ. Quales autem fuerint Scentiæ & Dona vitalium sprituum, Animæ, calidi, ignis, &c. tales signaturas in corporibus exprimi, corporumque ornatum universum in Anima contineri asserit. Ita *Anima est Principium corporis organici: ab hac enim fluit corpus:* hujus virtute Elementa, Principia, miscentur, augentur, ex spiritualibus in corporea mutantur, figuris, magnitudinibus, coloribus, & similibus picturis Animæ consentaneis, hoc est, quæ ad prædestinata officia absolvenda operæ precium obtinent, vestiuntur, Εσέρπει δὲ εἰς ἄνθρωπον, μέρεα μερέων, ὅλα ὅλων, ἔχοντα σύγκρησιν πυρὸς καὶ ὕδατος. τὰ μὲν ληψόμενα, τὰ δὲ δώσοντα, καὶ τὰ μὲν λαμβάνοντα πλῶον ποιέει, τὰ δὲ διδόντα μεῖον, &c.

Declarat alimentorum beneficio omnia suppeditari, partes partium, tota totorum, hoc est, & Elementis humanis, & corporum Principiis, fomenta idonea suppeditari. Alimenta enim quæ ingrediuntur temperamentum, habent Tincturas & fructus Ignis & Aquæ, ex quibus prima rudimenta seminum profluxere. Quid Ignem & Aquam appellet, ex superiotibus inquire. Patet *Elementa, totorum conditionem habere: Principia verò partium. Nisi enim alimentum tam Principiorum quam Elementorum proprietates obtinuerit, sterile utique futurum est. His ita accidentibus & amica societate commixtis, quædam, inquit, accipient, quadam verò dabunt: & quæ accipient, plus facient, quæ vero dabunt, minus, &c.* Partes sane accipient & tota dabunt. In partibus enim, id est, in Principiis corporum, proprietates insunt, & validiores Tincturæ, quàm in totis, id est, in Elementis Ideoque Elementa, partium fiunt nutrimenta. Ipsæ quoque partes, aliæ aliis sunt validiores, & à debilioribus alimentum trahunt. Sed quid est quod omnia hæc moderatur, alimentorum attractiones, Mixtiones, partium dispensationes, consentaneorum conspirationes, dissentaneorum verò expulsiones? Φύσις ἀνθρώπων inquit: hæc est illa quæ hoc expellit, hoc attrahit, quæ dat, quæ accipit, καὶ τῷ μὲν δίδωσι, τὸ δὲ λαμβάνει, καὶ τὰ μὲν ἐπὶ τὸ μεῖον ἰόντα διακρίνεται εἰς τὴν ἐλάσσονα χώρην, τὰ δὲ ἐπὶ τὸ μεῖζον πρoσιόμενα συμμισγόμενα ἐξαλλάσσει εἰς τὴν μείζω τάξιν.

Minora minoribus locis adaptat, majora majoribus, idque commixtione alterata & be-

& benigne temperata. Quæ Elementorum ordinibus consentanea sunt in alimentis, ad eorum ordinem segregat, quæ partium & Principiorum similiter, Τὰ δὲ ξεῖνα μὴ ὁμότροπα ὠθέεται ἐκ χώρης ἀλλοτρίης. οὐ γὰρ δύναται τὸ μὴ ὁμότροπον, ἐν τοῖσιν ἀσυμφόροισι χωρίοισιν ἐμμένειν, πλανᾶται γὰρ ἀγνοούμενα. ξυμμισγόμενα δὲ ἀλλήλοισι συγγινώσκεται. προσοίσει γὰρ τὸ σύμφορον τῷ συμφόρῳ. τὸ δὲ ἀσύμφορον, πολεμεῖ καὶ μάχεται καὶ διαλλάσσει ἀπ' ἀλλήλων. *Peregrina,* hoc est, *quæ non sunt* ὁμότροπα, *ab alienis sedibus pelluntur. Ea enim propria est facultas omnium vitalium Elementorum, ut in suis regionibus, nihil alieni, vel dissentanei ferre poßint: sed omnia collectis viribus à se expellunt.* Peregrinum autem est, quidquid non habet signaturas conspirantes, id est, in quibus, nec tempora congruunt, nec colores, nec odores, nec sapores, nec corporaturæ. In his corporum Principia necessario dissentanea sunt, Elementa quoque. Quapropter locorum favore destituta, qui ignoti sunt hospites errant, locumque in diversorio non inveniunt. Domestica verò cognoscuntur, quia signaturæ sunt similes, & Radices habent communes ad Mixtionem consentientes. Hoc est tritum illud Philosophorum dogma, *Naturam Natura propria lætari.* Διὰ τοῦτο ἀνθρώπου ψυχὴ, ἐν ἀνθρώπῳ αὐξάνεται, ἐν ἄλλῳ δὲ οὐδενὶ, καὶ τῶν ἄλλων ζώων τῶν μεγάλων ὡσαύτως. Quia nec peregrina Elementa, nec Principia admittuntur in Anatomia humana, propterea, inquit ψυχὴν (intellige Naturam, Semen, Radicem vegetalem humanam) in solo homine augeri, & in nullo preterea alio Animali. In cæteris quoque similiter Animalibus majoribus, id est, perfectis, in quibus sexuum perfecta est distinctio, & univoca Generatio. Insecta enim & his finitima frequentes admittunt Transplantationes, ac peregrina semina suis tentoriis fovent. Ad hunc modum sæpe loquitur PARACELSVS. Dicit enim *ex eodem alimento canem caninam producere naturam, carnem, semen, radicem: hominem, humanam: suem, suillam: leonem, leoninam, ob potestatem Mechanicorum spirituum, qui alimenta omnia suis signaturis ornare possunt.* Manifestè verò explicat potestatem Ticturarum radicalium, Principiorum vitalium, spirituum Mechanicorum, seminis (una enim eademque res diversis his nominibus insignita) cum dicit: ἑκάστῳ δὲ ψυχὴ μέζω καὶ ἐλάσσω ἔχουσα περιφοιτᾷ τὰ ἑαυτῆς, οὐ προσθέσιος οὐδὲ ἀφαιρέσιος δεομένων τῶν μερέων κατὰ δὲ αὔξησιν καὶ μείωσιν τῶν ὑπαρχόντων δεομένη. hoc est: *Natura quæ majora & minora habet, sibi ipsi particulas suas fabricat, quæ neque adjectione, neque subtractatione opus habent: jam verò existentes, augmento & decremento indigent,* &c. Sed quo pacto ante augmenta tot partium differentiæ in una Natura continentur?

Cer-

Certe non in corporibus, neque tenuibus partium rudimentis ſenſum fugientibus, ſed in vita, Scientia, poteſtate ſeminis & Tincturarum radicalium. Ibi neque locorum intervallis diſtinctæ jacent, neque confuſione differentias amittunt, ſed unitæ, proprietates illæſas cuſtodiunt, quas ordinata progreſſione promovent. Ex alimento enim attracto auctæ, ex inviſibilibus viſibilia, ex incorporeis corporea rudimenta demonſtrant. Sed unde augmenta & nutrimenta hæc proficiſcuntur? Τρέφεται καὶ αὔξεται διαίτῃ τῇ περὶ τὸν ἄνθρωπον. ἀνάγκη δὲ τὰ μέρεα ἔχειν πάντα τὰ εἰσιόντα. οὗτινος γὰρ μὴ ἐνείη μοῖρα ἐξαρχῆς, οὐκ ἂν αὐξηθείη, οὔτε πολλῆς ἐπιούσης τροφῆς, οὔτε ὀλίγης, οὐ γὰρ ἔχει τὸ προσαυξόμενον. ἔχον δὲ πάντα αὔξεται ἐν χώρῃ τῷ ἑαυτοῦ ἕκαστον. hoc eſt: *nutriuntur & augentur Diæta qua homo utitur. Neceſſarium vero eſt partes continere omnia quæ ingrediuntur. Cujus enim Principium, Scientia, prædeſtinatio, fatum, rudimentum* (ea enim omnia virtute vocabuli τῆς μοῖρας deſignantur) *non adfuerit ab initio, nequaquam augebitur, ſive copioſum ſive exiguum affluat alimentum, neque enim habet cui adhæreat, & quod augeſcere faciat: nunc vero cum omnia habeat, augetur unumquodque in proprio loco &c.* Alibi clarius expoſuit quænam ſit humana diæta, *ex iiſdem*, inquit, *nutrimur ex quibus conſtamus, iiſdem dico poteſtate non actu*, id eſt, quæ partes habent iu ſemine, quæ Scientiis & Mechanicis ſpiritibus humani ſeminis ſubjiciuntur. Corporea enim aliorum interpretatio plane cruda eſt. Nec enim ſatis eſt quod dicunt conſtare nos ex quatuor Elementis, & iiſdem nutriri: propius accedere oportet, ac fores clauſas aperire, ſi nucleum edere propoſitum eſt. *Qui ſiti premitur, liquoris familiaris ſpeciem animo concipit: hujus imaginationis comes individuus eſt appetitio, & talis imaginatio appetitu tali formata, ſitis eſt.* Huic imaginationi idem eſt liqnor deſideratus: quia ſpecies quæ imaginationem formavit, liquoris propria eſt, & liquor talis imaginationis officio, prædeſtinationi, termino, fato, ſcientiæ ſatisfacere poteſt. Ita *nutrimenta eadem ſunt cum iis quæ nutriuntur: & tamen hæc ſunt inviſibilia, illa vero viſibilia: hæc incorporea, illa vero corporea.* Itaque niſi talis antea fuerit imaginatio, ſcientia, fatum, prædeſtinatio (ignoſcite Ariſtotelici quod Imaginationem Naturæ attribuam) non generabitur, non miſcebitur, non augebitur quicquam: non fient ex inviſibilibus viſibilia, ex incorporeis corporea: non explicabuntur figuræ, magnitudines, colores, ſapores, odores, & reliquæ ſignaturæ corporum ſive copioſum ſive exiguum affluxerit nutrimentum, quia non habent fundamenta, radices, principia, quorum poteſtate, tutela, patrocinio, in novæ Reipublicæ ſocietatem recipiantur.

Antea per jocum dixerat γένεσιν εἶναι μίξιν, hîc demonstrat γένεσιν εἶναι αὔξησιν. Latine loquerer, nisi flagella Peripateticorum timerem. Omnibus his debite confluentibus, augetur unumquodque in loco proprio: loca verò progressiones seminum ordinatè imitantur. Analogiam alibi explicabimus. Hanc artificiosam Generationis dispensationem, silentio, quiete, in nocte, placidè, absolvi docet. Trahuntur alia intrò, alia verò foras protruduntur. Exempla Fabrorum adducit & aliorum artificum, qui sine violentia artificia sua peragunt. Ita omnia Generationis initia in Naturæ officina, sine strepitu administrabuntur, quousque nutritis spiritibus Mechanicis & auctis, loco tam angusto amplius contineri non possint, neque tam exiguo alimento nutriri. Tum verò quæ antea unita fuerant, certis proportionum mensuris separabuntur, & locorum distantias admittent. progredientibus enim proportionibus, termini qui ante distare non videbantur, manifestis intervallis distrahuntur. Contingunt tales progressiones, posteaquam nutritione prima Elementa & corporum Principia constituta fuerint, Mixtione opportuna conjuncta, & in tantum aucta, ut progressionem facere possint: idque prædestinatis temporibus, si nullus error inciderit. Itaque ὁκόσα ἢν ἐμπλήσῃ τὴν πεπρωμένην μοίρην ταῦτα διακρίνεται πρῶτα, καὶ ἅμα συμμίσγεται. ἕκαστον μὲν γὰρ διακρίνεται, &c. *Sunt certa digestaque tempora omnium seminum, Ascendentium, Radicum, quibus mutationes, mixtiones, maturitates, augmenta, ætates absolvunt.* Hanc definitam temporum mensuram appellat Hippocrates τὴν πεπρωμένην μοίρην. PARACELSVS, *prædestinatum digestumque tempus.* Quæcumque nunc in semine partes, expletis prædictis temporibus nutricatione & harmonica Mixtione augmenta fecerint, progredientur, à reliquis quodammodo separata, positione scilicet: vita enim communi etiamnum fruentur, & nutrimento per vias confluentes attracto, mixtiones continuas assiduè molientur, donec ad ultimam prædestinationem pervenerint. Χώρην δὲ ἀμείψαντα καὶ τυχόντα ἁρμονίης ὀρθῶς ἐχούσης συμφωνίας τρεῖς, ξυλλαβοῦσαν διεξιὼν διὰ πασέων, ζώει καὶ αὔξεται τοῖσιν αὐτοῖσιν, οἷσι καὶ πρόσθεν, ἢν δὲ μὴ τύχῃ τῆς ἁρμονίης, μὴ δὲ ξύμφωνα παρέα τοῖσιν ὀξέσι γένηται ἡ πρώτη συμφωνίη, ἢν δὲ δευτέρη γένεσις ἢ, τὸ διὰ παντὸς ἑνὸς ἀπογενομένου, πᾶς ὁ τόνος μάταιος, οὐ γὰρ ἂν προσαείσειεν, ἀλλ' ἀμείβει ἐκ τοῦ μέζονος εἰς τὸ μεῖον, πρὸ μοίρης. διότι οὐ γινώσκουσιν ὅτι ποιέουσιν. Hoc est: *locum verò permutantia, si opportunè nacta fuerint harmoniam tres symphonias habentem, omniaquè universim penetrando conjungentem, vivent, & incrementa suspicient ex iisdem ex quibus antea. Si verò harmoniam non assequuti fuerint, neque gra-*

via acutis consona fiant, prima symphonia vitiabitur, & quamvis secunda generetur, cùm una omnino destructa sit, omnis tonus vanus erit: non enim concentum habebit, sed ex majori ad minus transibit ante destinatum fatum, quia non cognoscunt quod faciunt, &c. Consuetum est Pithagoricis & occultioris Naturæ interpretibus, proprietates, Mixtiones, ac progressiones rerum naturalium numeris adaptare, eorundemque involucris multa mysteria occultare. Itaque essentialium numerorum proprietatibus omnes Scientias, tam Mundanas quam Supramundanas docuerunt. Ab aliis postea ridebantur, quòd ex numeris,& nudis quantitatibus substantias produci posse arbitrarentur. Hi consilium tantorum Philosophorum non satis acceperunt, neque numerorum essentialium proprietates & potestates intellexerunt. Sanè, si *constantes ac perpetui sunt numeri partium, numerorumque proportiones & Mixtiones ordinatæ in Generationum lithurgia, casu utique non contingent*, neque à posteriori, sed in Scientia Mechanica, de qua toties jam diximus, continebuntur, ubi magnitudines, figuræ, colores, sapores, & reliquæ quoque signaturæ fundantur: Quòd si in Scientia continentur, *otiosi non erunt, sed vitales, potestate pleni, ac proportiones ordinatas in progressionibus explicabunt, documentumque dabunt, pondere, mensura & ordine creata esse omnia. Ita nihil est in universo quod ordinem effugiat, quod non proportione ad harmoniam unitatemque redigatur.* Et quamvis huic aut alteri dissonum videatur, alii tamen confestim consonabit. Tales consonantiæ in Naturæ lithurgia singulis momentis absolvuntur. Semina enim in Generationibus ab unitate labentia, partes tanquam numeros & sonos, ordinata progressione producunt, Elementa constituunt, ac corporum Principia, numeris antea in Scientia definita, quæ si consentanea fuerint, harmoniam, mixtionem, proportionem & consonantiam efficient: consonantiam dico ex tribus debitè confluentibus constantem, scilicet, seminali Tinctura, Elementis, & corporum Principiis. Hæc enim ad Mixtionem conspirare antea ostendimus. *Nec est ulla particula corporis, quamvis minima, in qua tres dicta harmoniæ concentum non efficiant.* Requiritur enim *seminalis Tinctura, Balsamus, Mumia, Radix, vitale Principium*, si communi vita frui, si toti & cæteris particulis conspirare ac confluere oportet: requiruntur corporum Principia, hoc est, *Sulphur, Sal, Mercurius*, signaturis suis ornata, si proprium ac peculiare officium absolvere tenentur: requiruntur *Elementa Principiis consentanea*, & domestica, si nutriri, vivere, incrementaque sumere unicuique Naturæ lege injunctum est. His tribus debitè conspirantibus in omni Mixtionum progressione tonum efficient, id est, officium destinatum plenè & manifestè absolvent,

ſolvent, alimentoque priſtino continentur attracto auctæ, progreſſiones novas inſtituent. Quòd ſi peregrinæ impreſſiones, eæque valide in Generationum primis his mixtionibus confluxerint, Harmoniam non aſſequentur trinam, vitiabiturque omnis tonus, Principio ſcilicet deſtructo. Hoc eſt quod antea diximus, ſpecierum Tranſplantationes in Generationum exordiis, & facilius & frequentius accidere. Neque enim ſpes ulla reſidua eſt, in ſupervenientibus Mixtionibus vel Generationibus emendari poſſe Transplantationes primas. Concentum proinde amittunt, & peregrino admiſſo hoſpite, relictis propriis ordinibus, officiis, iiſque excellentioribus ac majoribus, ante deſtinatum Fatum alterius Reipublicæ cives & miniſtri evadent. Atque hoc pacto in minorem ordinem concedunt, & Scientiæ ſuæ prædeſtinationes relinquentes, faciunt quæ non volunt, & quæ non ſciunt. Ita enim in omnibus Tranſplantationibus evenire oſtendimus: ut in Mola, Monſtris, & ſimilibus. Mixtionum harmonias muſicis proportionibus hoc loco accommodavit, quia in his maximæ varietati concordia conciliatur: Natura verò varietate delectatur: & poſtea aſſerit quæ plurimum diverſa ſunt maximè concordare. Hactenus prima Generationis exordia expoſuimus, in quibus partes ſingulæ ex alimento auctæ, in conſpicuam varietatem deſinunt. Quia verò poſthac alimento indigent copioſiore & ſolidiore, nec occultæ viæ ſufficiunt, membranis quoque in quibus involvitur fœtus, indies craſceſcentibus, canales formantur umbilicales, radicibus proportione reſpondentes: qui ſecundinæ conjuncti, venas omnes & arterias ex utero in ſecundinam diſperſas colligunt, ſpiritumque & ſanguinem fœtui ſubminiſtrant. Nomina membranarum, vaſorum, alantoides, amnios, χόριον, vel ſecundina, acetabula, &c. ocioſum eſt recenſere: Generationem & uſum antea declaravimus. Vellem in aliis rebus principalioribus, cauſarumque rationem magis habentibus, tam fœcundi fuiſſent nominum diſpenſatores, Antiqui: ita enim à nominum inviſa novitate nos defendiſſent. Quæſitum eſt à multis, quæ partes primùm à Natura conformentur. Ariſtoteles *cor primùm conformari ait*, quòd vitæ ſit Principium & radix, cæteriſque partibus motum, ſenſum ac nutrimentum ſuppeditet. Medici negant à *corde venas vel nervos oriri: ſed tria viſcera principalia, cor, cerebrum, hepar, tanquam fundamenta cæterarum, primùm conformari ajunt*, ab his deinceps, à corde quidem arterias, à cerebro ſpinalique medulla nervos, ab hepate venas produci, magna rationum ac obſervationum mole contendunt. Utrique ab Hippocrate & Veritate deficientes de lana caprina rixantur, quæſtionibuſ-

nibusque ociosis fatigantur. Non enim Generationis Mechanicam lithurgiam quam exposuimus animadvertunt , nec Scientiæ potestatem, à qua omnia proficiscuntur, intelligunt : sed corporea partium rudimenta in semine fingunt, maximeque principalium viscerum, quibus separatis & à calore coactis, membra tandem ostendant, quorum exordia obtinuerant. Hippocrates verò in eodem libello, de Diæta, ita pronuntiat: Διακρίνεται δὲ τὰ μέλεα ἅμα πάντα καὶ αὔξεται καὶ οὔτε πρότερον οὐδὲν ἑτέρου ἕτερον , οὔθ' ὕστερον· τὰ δὲ μείζω φύσει, πρότερα φαίνεται τῶν ἐλασσόνων, οὐδὲν πρότερα γινόμενα. Hoc est: *separantur verò membra omnia simul & augentur , neque ullum prius altero , neque posterius : quæ vero majora sunt natura , quamvis non priora fiant , prius tamen apparent.* Idem confirmat in libello , De locis in homine , in principio. Ἐμοὶ , inquit, δοκέει ἀρχὴ μὲν οὐδεμία εἶναι τοῦ σώματος , ἀλλὰ πάντα ὁμοίως ἀρχὴ καὶ πάντα τελευτή , κύκλου γὰρ γραφέντος ἀρχὴ οὐκ εὑρέθη. Dicit *se nihil in corporea reperire , cui possit principium ascribere , & primam Generationis sortem concedere, neque postremum quippiam: quia si circulum descripserit quis , principium vel finem non inveniet.* Ita circulo comparat seminis naturam, figuræ simplici , uniformi: idque quantum attinet ad partium corporearum varietatem , in seminibus actu subsistentium. Ii verò qui rudimenta corporea principalia viscerum, in semine contineri affirmant, non circulo , sed triangulo, quadrangulo, pentagono, vel similibus figuris angulos & terminos habentibus, seminis naturam conferre compelluntur : in iis enim principia & fines inveniuntur. Quod ad corpoream seminis molem attinet, varietas certè deprehendi potest: *seminis verò natura planè spiritualis est , & tale quoque nutrimentum secum ad matrices attulit* : ex crassiori corpore cortices, membranas, involucra ac testes formabit. Spirituale verò cum sit nutrimentum illud semini conjunctum unitatis & circuli proportionem custodiet , quousque alimento copiosius attracto corporeas admittet affectiones ac distantias. Tum verò anguli apparebunt , principia , termini, fines & quæ majoribus dimensionibus prædita sunt prius sub aspectum venient : interea minora, non feriabuntur. Qui Aristotelem reprehendunt , quòd cor primum conformari dixerit in Animalibus, *jecori primas attribuunt, quod primo plantæ vitam vivat in utero fœtus* , neque in plantis reperiri quippiam proportione cordi respondens. Quibus antea satisfecimus. Diximus enim copiosum spiritum vitalem semini conjunctum esse , & pulsu ac spiratione, quamvis occulta, cordis officium absolvere: & quid dico cordis officium , cum non cordis sed spirituum proprium sit. Quod si hujus spiritus analogiam plantæ inesse nega-

negaverint, Naturam invenient repugnantem : neque Balſami vegetabilis proprietates ſatis examinarunt. Æquè abſurda eſt eorum opinio, qui *venas ex hepate, arterias ex corde, nervos ex cerebro oriri affirmant*. Qui diligentiores etiam in corporea Anatomia fuerunt, ut Fallopius, hanc nimis materialem partium originem repudiarunt: officia nihilominus cerebro, cordi, hepati, conſentanea, à nervis, arteriis & venis abſolvi rectè pronunciaverunt: eſſe enim conſenſus ac conſpirationis vincula, de quibus ſequenti Capite latius augetur. De ſexuum diſtinctione ita ſentimus. Contineri *in una Radice, Principio vitali, Scientia, tam maris quam fœminæ exordia: ſupervenientibus verò Mixtionibus & Tincturis, ſeparari: fœminamque tranſplantatum eſſe maſculum, non monſtroſa Tranſplantatione* quemadmodum Ariſtoteles arbitrabatur, *ſed naturali & neceſſaria*, utpote quæ leges, prædeſtinationes ac Scientias habeat in Natura, in ævum perdurantes. Itaque in una radice continentur: quo fit ut ſæpe mares fœmineo ſemine abundent, & viciſſim fœmina maſculino. Neque calori vel frigori hanc Tranſplantationem aſcribimus, ſed supervenientium Mixtionum Tincturis. Si menſtrui ſignaturas obtinuerint validas, univerſum ſemen proprietatibus & partibus menſtruo domeſticis ornabitur. Si verò maſculas ſignaturas adduxerint, maſculum producent ac maſculina membra. Rurſus, ſi ſeparatio abſoluta & perfecta fuerit, fiunt viriles planè maſculi & fœminæ ſimiliter. Si verò ſeparatio non fuerit prorſus abſoluta, evadunt Androgyni, id eſt, viri effœminati, & maſculæ fœminæ, Sabellis doctæ ligonibus verſare glebas. Et quia tales Tincturæ, quas ſupervenientes appellavimus, facilè frequenterque introduci poſſunt, ſequitur eundem marem, nunc fœmineo, nunc virili ſemine pollere, & eandem fœminam, nunc virili, nunc fœminea genitura abundare. Teſtem horum omnium producemus Hippocratem, in eodem libro, de Diæta, dicentem. ξυνίστασθαι δὲ δύναται καὶ τὸ θῆλυ καὶ τὸ ἄρσεν πρὸς ἄλληλα, διότι ἡ μὲν ψυχὴ, τὸ αὐτὸ πᾶσι τοῖσι ἐμψύχοισι. τὸ δὲ σῶμα διαφέρει ἑκάστου. ψυχὴ μὲν οὖν αἰεὶ ὁμοίη, καὶ ἐν μείζονι καὶ ἀλλάσσονι, οὐ γὰρ ἀλλοιοῦται, οὔτε διὰ φύσιν, οὔτε δι' ἀνάγκην. σῶμα δὲ οὐδέποτ' ὡυτὸ, οὐδενὸς οὔτε κατὰ φύσιν οὔθ' ὑπ' ἀνάγκης, τὸ μὲν διακρίνεται εἰς πάντα. τὸ δὲ ξυμμίσγεται πρὸς ἅπαντα ἢν μὲν οὖν ἄρσενα τὰ σώματα, ἀποκριθέντα ἀμφοτέρων τύχῃ, &c. hoc eſt: *ſimul verò conſiſtere, & ſe invicem conſtituere poſſunt maſculus & fœmina, quia Anima eadem eſt omnibus animatis. Corpus autem uniuscujusque differt. Anima igitur ſemper ſimilis eſt, & in majore, & in minore : non enim alteratur, neque per Naturam, neque per neceſſitatem. Corpus nunquam idem eſt, neque Natura neque neceſſitate, nunc ſeparatum ab omnibus, alias commixtum*, &c.

Animam

Animam hic appellat, ut sæpe antea, Radicem, vitale Principium. Hoc quia utrique sexui commune est, in omnium Animalium generibus propterea, inquit, simul consistere possunt, in eadem Radice fundari, & se mutuò propagare masculus ac fœmina. *Animæ enim species, vitalia Principia rerum, radicales Tincturæ, stabiles sunt, perpetuæ, Mixtioni non subjectæ.* Itaque eædem, & sibiipsis planè similes persistunt, sive in Individuis minoribus, id est, debilioribus, sive majoribus, id est, validioribus habitent: nec ulla necessitate corporeis prædestinationibus implicantur: spirituum verò corporalium beneficio, corporibus alligantur. Hos spiritus, in quibus corporum Principia & signaturæ fundantur, Animæ opponit: dicitque in omnibus differre, quia Mixtionum, separationum, Transplantationum ac diversitatum prædestinationes necessitatesquè obtinuerunt: ex alimentis, locis, & reliquis Ascendentibus ad Generationem confluentibus, assiduè mutantur, & mutatæ, Individuæ naturæ proprietates similiter alterant. Quare in una Radice, Anima, continentur principia maris & fœminæ: supervenientibus verò Tincturis ac corporibus spiritualibus, Individuas signaturas asciscunt, sexuumque manifestam distinctionem proferunt. Si igitur corpora (scilicet spiritualia seminibus consentanea, & ad Generationem Mixtionemque opportuna) quæ separantur à mare & fœmina, mascula fuerint, utraque viriles masculi nascentur, nisi alimentorum delictis, Mixtiones supervenientes vitiatæ fuerint. Interdum & hæc spiritualia corpora, quæ nunc Animæ opposuit Hippocrates, Animæ appellatione designat: ut cum dicit, Animam hominis Animæ misceri, idque Philosophica libertate: de qua nominum varietate alias diximus. Gemellorum causas, & Generationis modum antea exposuimus. Atque hæc est vera lithurgia humanæ Generationis, hic Mechanicus processus, quem ubi didiceritis, historiam ac absolutionem fœtus in utero, apud Hippocratem quærite, in libro, De Natura pueri, de Diæta primo, item de Genitura: & vestram quoque experientiam, naturalium operum diligenti inspectione confirmate. Principia demonstravi ex intimis Naturæ penetralibus desumpta, in quibus causæ & varietates omnium accidentium quæ Generationi eveniunt, virtute continentur.

Quod ad Transplantationes seminum morbosas attinet, commodius in expositione morborum hæreditariorum agetur. A supernaturalibus & monstrosis Transplantationibus hoc loco excusamur. Itaque copias in angustam contrahentes asserimus: *Generationis humanæ Radicem, Fundamentum, Principium. in Balsamo illo vitali contineri, quod universi corporis Anatomiam occupavit. Idque tam in fœminis quam in maribus vigere, mutuoque congressu effervescere & suscitari, fœcundaque spiri-*

ſpirituum Mechanicorum ſobole ad teſtium Anatomiam , & hinc ad Matricem naturali impetu confluere una cum materia ſeminali , quæ in teſtibus præparata Spiritualia Principia felicius cuſtodit. In ſpiritibus vero Mechanicis vigere Scientiam, cujus poteſtate Elementa, corporum Principia conſentanea, ex Alimentis oportuna Mixtione aucta, ex inviſibilibus viſibilia, ex incorporeis corporea tandem evadunt: Partiumque numerum, ſitum, conſenſum, figuras, magnitudines, reliquaſque ſignaturas ſecundum prædeſtinationes dictæ Scientiæ definitis temporibus abſolvi: Sexuum diſcrimina ex ſupervenientibus Tincturis pendere, in communi verò Radice & Principio unita conſpirare.

Ita numeris omnibus abſolutum fœtum, poſthac in lucem producemus.

CAPUT XI.

De Uſu Partium, Actionumque omnium adminiſtratione , & de fructibus Aſtrorum in Revolutione humanæ Aſtronomiæ.

QUÆ ad originem humanam attinent, & primam ſeminis progreſſionem, ſuperiori Capite expoſuimus. Oportuit ſane explicari poteſtates & Scientias illas Animæ quæ corporum ſocietate perficiuntur. Ita enim in lege definitum eſt: nec poterant Entia in uno ſiſtere gradu , tanta numerorum proportionumque fœcunditate gravida. Itaque quibus hæc provincia contigit, definitis temporibus progredientia, corporum conjugiis implicantur, ac corporeas ſubeunt affectiones, differentes ſecundum analogiam corporum, & conjugii Mixtione contrahi conjugia diximus , fierique ſocietatem viſibilium ac inviſibilium corporum , & ſpirituum, ſpiritusque in corpora tandem degenerare: corpora dico ſpirituum ſignaturis ornata, & apta officiis, Donis, Scientiis ac prædeſtinationibus ſpirituum: corporaque in officina Naturæ poſtrema eſſe, à ſpiritibus foveri, cuſtodiri & gubernari. Quin etiam in hac ſeminis progreſſione Elementa, corporum Principia , numeris ac proportionibus certis definita ad Mixtionem confluere, & analogiam progreſſionibus debitam , inviolatam conſervare. Nunc vero progreſſione ſeminis finita, fœtuque numeris omnibus abſoluto & in lucem edito , neceſſitates ac officia partium actionumque omnium adminiſtrationes ſcrutari conſilium eſt. Ita enim Naturæ Scientiam magis admirabimur , & providentiam per omnia diffuſam magna pietate confitebimur.

Quia

Quia igitur in omni Generatione, Elementa & corporum Principia consentanea, à Radicibus & seminalibus rerum Principiis constituuntur, ad imitationem universæ Creaturæ, hæc verò in Generationis fluxu, custodiri necessariò debent, quod ex his nutrimenta, augmenta ac Mixtiones omniũ proficiscantur: prima utique necessitas fuit earum partium quæ horum ministeriis destinantur. *Elementa verò distincta sunt in duos ordines, superioris, scilicet & inferioris globi. Firmamentum enim ac Aër, Aqua & Terra, Naturæ societate conspirant conjugiumque efficiunt.* Ita partes quoque horum ministeriis accommodatas consentire necesse est. Sic Generationis initio, quia omnia sunt spiritualia & unita, *Elementa quoque hæc similia sunt, ac partibus spiritualibus officia sua peragunt*, id est, spiritibus ipsis, sed corporeis. Hanc unitatem seminis respexit Hippocrates, ubi asseruit nos constare ex duobus, *Igne scilicet & Aqua.* Multa enim hîc unita sunt quæ sensus non potest discernere. Sunt Radices seminales, corporum Principia, & dicta Elementa, quæ maximè conspicua sunt, & in quibus omnia foventur. Ita favore ac patrocinio unitatis in Naturæ Academia omnes hæ locutiones admittuntur: *ex semine nascimur vel ex uno: ex quatuor Elementis, vel ex Igne & Aqua: ex Sulphure, Sale ac Mercurio.* Proprietates verò & officia rerum unitarum confundere non decet. Nam *quantumvis tria illa in Natura unita videantur: proprietates tamen sine confusione illæsas custodiunt.* Semen proinde quod fœcundum est, Elementa habet corporum domesticis Principiis insignita, juxta Radicis vel Principii vitalis Scientiam: & confestim superiora Elementa, Firmamentum sc. & Aer, vitali pulsu, occultaque respiratione, officia cordis, arteriarum, pulmonis, diaphragmatis, asperæ arteriæ, laryngis, &c. absolvunt: quamvis antea admonuerim, officia non esse partium, sed spirituum. *Inferiora similiter Elementa, Aqua sc. & Terra, nutritione his consentanea omnia fovent* (semina quippe nutrimentorum suffecturam supellectilem ad matrices secum duxerunt) *idque spiritualium corporum ministerio:* atque sic officia ventriculi, hepatis, lienis, venarum, renum, œsophagi, intestinorum, &c. peragunt. Omnium enim harum partium scientias ac potestates continent, & in hac fœtus constitutione prædestinationum necessitatibus satisfacere possunt: naturæ mysterium hoc modo declarantes, videlicet, quæ unitati ac Radici propinquiora sunt, plurimarum diversissimarumque partium ab unitate descendentium prædestinationibus sufficere. At verò spiritibus Mixtione continua crascescentibus, distantiæ, separationes ac Donorum divisiones contingunt, alimentaque accedunt crassiora, impuritatibus comitata. Elementa quoque & universa quæ in semine continentur, analogiam progressionis sequuntur. Itaque spirituum ac Scientiarum

facta separatione, partes conformantur singulæ suis Scientiis accommodatæ. *Primum enim Elementa & corporum Principia domestica sibi asciscunt spiritus illi Mechanici* (i.e. talem Ignem, Aerem, Aquam, Terram, tale sulphur, tale Sal, talem Mercurium) qualia *prædestinationibus, officiis & Scientiis talibus respondere possunt. Ex his primum spiritualia corpora producuntur*, id est, caliditates, frigiditates, humiditates, siccitates, colores, sapores, odores, perpetuò tales, quales in prædestinata spirituum Scientia vigent. *Quibus omnibus opportunè mixtis*, & nutritione assidua auctis paulatim à spirituali descendentes Anatomia, *in corpoream familiam degenerant*: corporaque principiò humida spiritualiaque constituunt, in horas crascescentia & ad senium festinantia. In his postremis corporibus signaturæ priorum vigent: in his tentoria figunt tanquam in notis diversoriis. Posteriora enim ex prioribus ortus sui primordia duxerunt. Quapropter proprietates, actiones, officia omnium partium, spiritualibus illis corporibus asscribimus. *Ventriculum concoquere, quia spiritualia corpora obtinet, proprietatibus & Scientiis talis Sulphuris, Salis ac Mercurii vigentia, quæ alimenta ingesta resolvere, separare, digerere & signaturis consentaneis vestire possunt: signaturis tamen in potestate alimentorum antea latentibus.* Hoc est in chylum convertere alimentum, quod ventriculi officium est. Si spirituum potestate & Scientia, hæc officia administrabantur in semine, ventriculo nondum conformato, ratione scilicet Principiis analoga, facta progressione, commutatione in corpora, figuras molientur, magnitudines, situs, consensus, officia & Donis accommodatos. Concavo itaque facto ventriculo quia alimentum crassum ac corporeum recipere debuit, œsophagum & intestina adjungent: non quod tempore posterius conformentur illa, sed quia aliter Naturæ opera interpretari non possumus. Manifestas autem vias concedent œsophago & intestinis, quia alimenta ac excrementa plane corporea vehere & secludere tenentur, fibras, villas, involucra, anfractus, substantiarum varietatem, reliquasque signaturas, ex iisdem principiis simili ratione declarare oportet. Rursus *quia proprietates spirituum, ex quibus constituitur hepar, ex tali Sulphure, Sale & Mercurio, procedunt, in quibus Scientia ac potestas attrahendi, separandi, digerendi, & ad maturitatem perducendi chyli vaporosam substantiam* (halitus enim specie attrahitur, superstitiosum planè est quod de obliquæ venarum Mesaraicarum inter duas intestinorum tunicas insertionis utilitate adferunt: frustra enim manifestas vias spiritualibus corporibus instituunt) *hanc utique materiam ad maturitatem perductam signaturis consentaneis ornabunt & in sanguinem commutabunt, quod hepatis officium est. Renes* similiter, in

quibus

quibus tertia alimentorum ſeparatio perficitur, ſecundum Scientiam trium Principiorum Salis, Sulphuris & Mercurii, *attractiones, ſeparationes, & digeſtiones vaporoſi ſanguinis abſolvent. Lienis mechanicam* lithurgiam eodem modo interpretari oportet: quamvis hujus officium non ſit ita commune. In his omnibus Sali, Sulphuri & Mercurio, proprietatum actionumque cauſas aſſcribimus, non caliditati, humiditati, frigiditati, ſiccitati: Temperamentumque ſingularum partium non ex mixtione calidi, humidi, frigidi, ſicci, integrari, ſed ex mixtione Sulphuris, Salis & Mercurii, inter ſe, & cum Elementis conſentaneis, Scientiis ac prædeſtinationibus prædictorum Principiorum & ipſius Radicis. Atque hoc eſt Temperamentum noſtrum, id eſt, ipſa natura, indoleſque rerum, ex Scientiis & ſignaturis Principiorum productum. Etenim *actionum proprietates, quæ in partibus naturalibus conſpiciuntur, ut attractionis, retentionis, ſeparationis, digeſtionis & evacuationis, in Salium, Sulpharum, Mercuriorum, vitali Anatomia, ſæpe quoque in externa, deprehendimus:* caliditatis, frigiditatis, humiditatis, ſiccitatis Anatomiæ fundamenta non invenimus. Non alia ratione officia earum partium, quæ Elementis ſuperioris globi, id eſt, Firmamento, & Aeri famulantur, inquirere decet. Quia enim ex tali Sale, Sulphure & Mercurio conſtituitur cor, in quibus Scientiæ & prædeſtinationes vitalium motuum vigent jugi ac circulari contractione & dilatatione, fructuum cœleſtium aëreorumque attractione, attractorum fruitione & digeſtione, digeſtorum diſpenſatione, quieſcentium Elementorum vitali & aſſidua ſuſcitatione, cordis officia peragunt. Principia hic cum dico, Sal, Sulphur, Mercurium, vitalia intellige: in eorum enim Anatomia, tales motus conſpiciuntur: motus quoque cœli planè vitalis eſt, cujus imaginem æmulari ſtudent ſpiritus cordis. In aliis quoque rebus, exaltatis, id eſt, in actum reductis ſpiritibus mechanicis, in quibus motuum prædeſtinationes & Scientiæ continentur vel breves vel diuturni tales motus apparent. Fluxus & refluxus marini ex talibus ſpiritibus proficiſcuntur. *Nitroſa Sulphura ubi exaltantur Aſtris excitatis motus ſimiles oſtendunt, ſed momentaneos, quia Radicem non habent continuam, Hinc fundamenta pulſuum peti debent, & omnium accidentium quæ pulſibus eveniunt.* Sed dicet aliquis: quæ igitur neceſſitas fuit partium, ſi omnia ſpirituum beneficio adminiſtrantur? Permagna certè. Etenim corporei quodammodo ſunt ſpiritus illi Mechanici, à quibus officia corporibus finitima proficiſcuntur, multum deficientes ab integritate, poteſtate & ſimplicitate primorum ſpirituum vitalium Principiorum, in quibus Scientiam, vitam, poteſtatem vigere diximus: à quibus contineri,

tineri, foveri, ac gubernari ſpiritus corporeos & ipſa corpora confeſſi ſumus. Itaque cùm tam vicino conjugio corporum teneantur, corporeas quoque affectiones ſuſtinent, locaque poſtulant, Radices & fundamenta, in quibus actionum fontes ac fructuum theſauros conſtituant. Hoc *pacto partes corporis ſunt quaſi matrices, radices, penuaria, Aſtra, in quibus concentrantur & uniuntur virtutes ſpirituum per orbem, id eſt, per totam Anatomiam, diſperſæ.* Neque enim in ſolo pectore continetur Anatomia ſpirituum cordis, ſed per univerſum corpus mirabili continuitate diſpergitur: neque in dextro ſolum hypochondrio clauditur Anatomia hepatis, ſed ſimili continuitate orbem ſuum per univerſam corporis Anatomiam propagavit: neque uterus, teſtes in ſuis locis ſegregati jacent, ſed continuitate, à prioribus tamen diverſa, per omnia diffunduntur. Senſus, motus, imaginationes, memorias, ſpirituum corporeorum miniſterio perfici, ſubtiliſſimorum tamen, hinc clarum eſt, quod corporeis affectionibus planè obtemperent. Motus à ſpiritibus cieri, iiſque corporeis, manifeſtiſſimum eſt: corporum quoque carnoſas fibras legitimè diſpoſitas requirunt: horum congreſſu & facili conjugio motus animales validiſſimi maximeque conſpicui abſolvuntur, obſcuriores verò ſolo ſpirituum beneficio adminiſtrantur, ut in actionibus naturalibus frequentiſſimè apparet in totius corporis vitali libramento. Neque verum eſt quod à nonnullis Anatomicis affirmatur, eundem eſſe ſpiritum Motionis & Senſus authorem, actiones verò differentes edi inſtrumentorum ratione: ſed ſpiritus quoque Donis, Scientiis, prædeſtinationibus & ſignaturis his reſpondentes inter ſe diſtant. Abſurdiores ſunt alii, qui neglectis ſpiritibus, Motum poſterioribus, Senſum prioribus nervis, puerili errore aſcripſerunt. Senſus quoque corporibus ſpiritualibus perfici, proxima ſenſuum inſtrumenta, ſentiendi rationes & affectiones concurrentes, ſatis demonſtrant. De interiori & communi eadem ratio eſt, ſervata analogia. Imaginationes & Memorias in ſpiritualibus corporibus, ſed ſubtiliſſimis, potentiſſimis & maximè vitalibus verſari, teſtantur inſomnia, morbi, corporum & Imaginationum obſequia, & ſimplicia nonnulla, quæ certas Imaginationes, ſæpe admirandas, ſuſcitant. His actionibus *Centrum, Radix ac fundamentum conſtitutum eſt cerebrum:* ideoque ex tali Sulphure, Sale & Mercurio conſtitutum eſt, in quibus Scientiæ, prædeſtinationes, Dona ac officia talium ſpirituum contineri poſſunt, & per univerſam eorundem *Anatomiam* perenni defluxu continuari. Quemadmodum enim de corde, hepate, utero, &c. diximus, *Anatomiam* eorum longè lateque propagari: ita *cerebri quoque non ſolis calvariæ limitibus coërcetur, ſed reliquo corpori benignè communicatur.* Corpus enim humanum unum eſſe oportuit: unitatem

tem

tem verò in tanta partium ſeparatione, diverſitate & diſtantia, Anatomiarum vel ſpirituum vitalium conſpiratione ac confluxu molita eſt Natura. Hæc eſt neceſſitas carum partium quæ continuitatis vincula ſunt, ut arteriarum, venarum, nervorum, carnium quoque, oſſium, membranarum, ſanguinis, & humorum, ſi rerum evidenribus inditiis fidem adhibere licet. Neque enim abſurdum eſt *multis uſibus unam eandemque particulam à Natura accommodari.* In prima ſeminis conſtitutione, Elementis & corporum Principiis etiamnum ſpiritualibus, ſolo ſpirituum miniſterio continuitas cuſtodiebatur: nunc verò ſpiritualibus in corporea tranſmutatis, vincula quoque corporea adjuncta ſunt: nam hoc pacto à radicibus & centris, tanquam per orbes & fibras, ſpiritus mechanici continuè peregrinari poſſunt. Obſcurior eſt altera continuitas, quæ carnium, membranarum, ſanguinis, oſſium, beneficio perficitur: neque enim omnes carnes ejuſdem ſunt naturæ, ſed magna Principiorum diverſitate conſtant, quorum ſimilitudo conſenſum facit. In oſſibus, medullis, membranis, tunicis, ligamentis eadem ratio eſt. Sanguinis diſſimilem naturam in diverſis locis & venis inter noſtros Medicos, ob frequentem cadaverum diſſectionem, pauci animadvertunt: & induſtriam Antiquorum derident, qui ſingularium venarum mirabili ſectione, morborum vehementium inſultus præcaverunt, & præſentium pernitiem ſæpe ſuſtulerunt. Profectò, ſi Anatomiam ſanguinis particularem inſtituiſſent, & Principia ad incudem revocaſſent, aliter ſentirent. Ipſæ quoque ſignaturæ ſanguinis, diverſis locis, etiam ſenſibus diverſæ repræſentantur. Quid mirum? Elementum eſt aqueum, Aſtris Mineraliumque differentibus Tincturis ornatum. Itaque his vinculis univerſaliquè Elementorum & ſpirituum conſpiratione, extrema internis conjunguntur, remota remotis, & omnium ſocietate unitatis abſolvitur cuſtodia. Admirabuntur nonnulli *nos ſanguinem & humores, in partium numero recenſere.* Ii ob errores ac vagos impetus, ut dicunt, à corporum & partium familia, hujuſmodi diſcreverunt. At certè, ſi *conſentanea à conſentaneis trahuntur*, *ſi unumquodque in proprio loco felicius retinetur & cuſtoditur*, nec omnia ſurſum, deorſum cœco impetu inordinatè defluunt: *ſanguine quoque à Natura lex præſcripta erit, locus deſignatus*, Scientia attributa, cujus ductu legi obtemperans, in propriis diverſoriis, ſine aliorum injuria ſe continebit, officiaque deſtinata abſolvet. Quinetiam Elementum cum ſit, & Aſtra habeat, eaquè definitis temporum momentis exorientia, vitalibuſque paroxyſmis vitæ manifeſta teſtimonia demonſtrantia, quis mentis compos, extra corporis Rempublicam in errantium grege collocabit? Elementa enim partes continent, fovent, nutriunt. Ita Firmamentum Aſtra ſua,

Aqua Mineralia, Terra Vegetabilia. Ita ſanguis in corpore humano radices habet, Aſtra, Mineras, &c. fructus vero producit in carnibus, membranis, vitali ſpiritu, id eſt, in Elemento Aeris & Firmamenti: idquè continentur. In carnibus Martis Anatomiæ ſubjectis, fructus producit Martiales, Veneris Anatomiæ Venereos, Lunæ Lunares, Saturni Saturninos: id eſt, ibi fructus producit ubi proprietates trium Principiorum ferri deliteſcunt, alibi, ubi proprietates trium Principiorum Veneris, Lunæ, Saturni, Mercurii, Solis: & ſi lubet, hic verbenas, alibi erucas, lactucas, plantagines, producet. Aſtra enim iiſdem poteſtatibus prædita ſunt: quamvis Elementorum diverſa ratione ſignaturas & nomina tranſmutent. Longè igitur ſupra partium dignitatem collocabimus ſanguinem, & in ſocietatem ac gubernationem humanæ Reipub. magna neceſſitate advocabimus. Infeliciter quoque in partium deſcriptione, humorem illum neglexerunt, quæ in articulis quidem maximè apparet, ac omnium oſſium membranis utili neceſſitate adhæret. Graviſſimorum enim morborum ſedes eſt, ſymptomata committit plurima. Chirurgi, Medicorum ſuperata diligentia, nomine notarunt, quamvis Barbaro, Synoviamque dixerunt: Hippocrates in libro, de Locis in homine, prætermiſit: ſed officia, proprietates ac conditiones deſcripſit. Μυξα inquit, πᾶσιν ἐστὶ, φύσει. καὶ ὅταν αὕτη καθαρὴ ἦ, ὑγιαίνουσι τὰ ἄρθρα, καὶ διὰ τοῦτο εὐκίνητά ἐστιν, ὥστε ὀλισθάνοντα πρὸς ἑωυτώ. πόνος δὲ καὶ ὀδύνη γίνεται, ὅταν ἀπὸ τῆς σαρκὸς ὑγρασιή ῥυῇ πινησάνη, &c. id eſt: *Mucus omnibus à Natura eſt, & cum hic purus fuerit, articuli ſani ſunt, & ad motum apti, quia lubricitate mutua juvantur. Labor verò & dolor fit, ubi à carne humiditas doloroſa affluxerit* &c. In hac Myxa contingunt Cephalalgiæ, κέδματα Hippocratis, die Lähme THEOPHRASTI, *Arthritides, Podagræ, Chiragræ, & vulnerum pernitioſa ſymptomata*, de quibus ſuis locis tempeſtivius agemus. Adipem in partium familia admiſerunt: attamen minori diſpendio hujus jacturam & alterationes, quàm Synoviæ (vocabulum Provincia dignum eſt, ut ſocordiæ Medicorum nos admoneat) ſuſtinemus. Fel quoque prætermiſerunt neceſſarium ſanguinis condimentum, modò debita Aſtrorum Reſolutione deſtinata officia abſolvat. Veſicam verò fellis, partibus aſſcripſerunt. Ita relictis colonis cum tuguriis meſſes inſtituunt. Errores hi prima facie leves videntur excuſationem admittere: ſed magnam cladem toti Medicinæ intulerunt, morborum confuſa contemplatione, inutilique diſtinctione dilaniata, Indicationes ac curationes vehementer turbarunt. Longè aliud fuit conſilium ipſius qui dixit τὰ ἴσχοντα, ἢ ὁρμῶντα, ἢ ἐνισχόμενα: quod ſatis oſtendit in libro De Flatibus. Partium nunc ordines ex neceſſitate prædeſtinationum deductos,

ctos, constituemus. *Primus earum est, quæ actionibus Elementorum Inferioris globi inserviunt, ut ventriculus, hepar, lien, œsophagus, intestina, mesaraicæ venæ, renes, vesica fellis & urinæ, venæ*: sanguis enim ipsum est Elementum & partium dignitatem transcendit. *Actionibus verò Elementorum superioris globi inserviunt, cor, pulmones, aspera arteria, diaphragma, arteriæ.* Spiritus enim vitalis per arterias diffusus Elementum est. Nec operæ precium est minimas quasque particulas hisce actionibus opitulantes hic recensere: ab aliis Anatomicis petere licet. *In secundo ordine partes continentur quæ officiis sensuum ac motuum accommodatæ sunt, ut cerebrum, oculi, aures, lingua, nares, musculi, ossa, tendines, ligamenta, nervi, membranæ. Tertius ordo partibus debetur Generationi destinatis. Ad quartum & postremum ordinem referemus eas, quarum ministerio colligantur & conspirant universa, quæ vincula sunt continuitatis corporeæ.* Diximus enim easdem particulas multis usibus satisfacere posse. Neque hoc aliquem offendere debet, quod Elementi appellationem toties variemus: rerum fœcunditati nomina obedire æquum est. Ita quamvis propria esse Elementa & Principia, in singulis particulis sæpe demonstraverimus, nihilominus universalia totius corporis, à quibus sustentantur & foventur particularia, non oportet negligere. Urtica enim in mundana Anatomia, propria habet Elementa & Principia: attamen ab universalium Elementorum fructibus, fomenta assiduè haurit. Est etiam partium inter se privata quædam societas. Conspirant enim partes quæ prædestinationibus Elementorum superioris globi famulantur cum iis quæ sensuum ac motuum ministeria absolvunt: rursus quæ officiis Elementorum inferioris globi destinantur, cum iis quæ generis custodiam tuentur. Quia verò ad morborum cognitiones & curationes, naturalium partium administrationes debitè explicatæ, maximum momentum adferunt, Concoctionum lithurgias qua possumus brevitate adjungemus, Quæ ab aliis rectè dicuntur ociosum est repetere. Relictis igitur primis alimentorum præparationibus, dicimus: alimenta ventriculo recepta, virtute spirituum Mechanicorum resolvi & misceri. Sunt enim in Anatomia ventriculi, Scientiæ Sulphurum, Salium, & Mercuriorum, quæ tales actiones edere possunt. In ipsis quoque alimentis continentur Elementa ac Principia, quæ his actionibus obtemperant. *Est enim in omni alimento Balsamus animalis, humanæ naturæ consentaneus*: itaque Elementa sua adjuncta habet & Principia domestica. Hinc alimentum à PARACELSO semen appellatur; cui consonat illud Hippocratis: ab iisdem nutrimur à quibus constamus. Facta resolutione separatur impurum à puro, excrementum ab alimento. *Ea enim est proprietas Sulphurum, ut consentanea à suis repellant globis: separata vero naturali impetu ad notiora feruntur diver-*

diverſoria. Hoc pacto à puriori alimento, id eſt, à chylo ſeparatur impurum illud Sulphur & fœtidum, quod adhuc ab inteſtinorum Mechanicis perfectius ſeparabitur, donec ad monoculum pervenerit: eò enim naturali fertur deſiderio ab aliorum ſocietate repulſum. Sed una cum hoc impuro corpore Sulphureo, id eſt ſtercore humano, & alia quædam impuritas in ventriculo ſeparatur, mucilaginoſa & tartarea, quæ omnibus alimentis ineſt. Hæc, quia in ſe non habet virtutem expulſivam, potius ſtypticam, aluminoſam, aſtringentem, ſi rectè omnia geruntur, una cum priore impuritate mixta expellitur: alias morbos committet, de quibus in Generatione morborum dicemus. Impuritatibus his ſeparatis, alimentum in ventriculo digeritur, ad maturitatem perducitur, & continua actione ſpirituum in vaporoſos halitus converſum, ad hepatis officinam feſtinat. Nec ita hoc accipi velim, quòd certa temporum diſpenſatione, primùm univerſæ alimentorum impuritates ſeparentur, relictis ſolis puris partibus digeſtioni & diſtributioni deſtinatis: ſed continuatur ſeparationi digeſtio, idque particulatim. Quicquid enim ex alimento ſeparatum fuerit, non expectata aliorum ſorte, continuò maturatum, in vapores halituoſos reſolvetur, & ſocietate aliorum Mechanicorum in novas officinas adducetur, durabitque talis molitio in conſumtionem nutrimenti vel Chyli, Quamvis autem repudiatam rejecerimus corpoream chyli diſtributionem, quam Anatomiſtæ imaginantur, ac vaporoſam ſolummodo ſubſtantiam ad hepar confluere dixerimus: nihilominus corporea continuitatis vincula huic diſtributioni neceſſaria eſſe, nec fruſtra à Natura poſita, aſſerimus. Neque enim quæ corporeis vinculis in Natura confluunt, corporibus quoque (niſi ſpiritualibus) confluere neceſſe eſt: neque ſpiritualia omnia ſpiritualibus mediis conſpirant. Magna eſt rerum varietas. Magneti ferrum conſentit ſine ſolido vel corporeo medio. Torpedo verò piſcatoris manuum non afficiet niſi corporeum continuumque vinculum interceſſerit. Ita quamvis vaporoſum & ſpirituale ſit nutrimentum quod diſtribuitur, notas tamen vias & familiares continuitate moderante potius ingredietur, quam peregrinas, in quibus continuitatis vincula deſiderantur. Hac ratione attractiones naturales quæ ſpirituum beneficio adminiſtrantur, ſecundum fibrarum rectitudinem abſolvi ab Antiquis proditum eſt. Hæ, quamvis minima ſint, plurimis tamen vaporibus viam oſtendere poſſunt, & radiorum confluxus tueri: obſtructæ verò vel induratæ, officia amittunt ac errores pariunt. Nec valet argumentum eorum, qui ſpiritualem chyli diſtributionem, & omnium alimentorum invertere conan-

conantur: dicentes, in *hepate corpoream ſubſtantiam ex chylo abſolvi nempe ſanguinem: igitur ex corporibus.* Næ illi pauca intellexerunt Naturæ opera, ſi ſpirituum & corporum reciprocas viciſſitudines non admittunt. Meſaraicarum itaque venarum neceſſitatem & uſum expoſuimus. *Facta hac prima ſolutione, ſeparatione & digeſtione, alimentum ad officinam vel ſtomachum hepatis* (ut loquitur PARACELSUS) *attractum in ſanguineam ſubſtantiam coagulatur,* idque juxta Scientiam trium Principiorum *hepatis*: fitque ſeparatio, maturatio & diſtributio, quemadmodum in ventriculi lithurgia oſtendimus. Et quia ſubtiliora ſunt nutrimenta hujus officinę, ſubtilioribuſque Mechanicis ſubjecta, excrementum quoque analogum exhibent, *urinam* ſcilicet. *Hæc naturali impetu ad renes fertur non ſeorſim & impermixta, ſed una cum ſanguine ſeroſo.* Nec ſolum *in hepate, ſed continenter in maſſa ſanguinis, donec ad renes pervenerit, perficitur ſeparatio.* Interea lien, veſica fellis, conſentaneum alliciunt nutrimentum, idque non ſolùm ex hepate, ſed etiam ex ventriculo. Nec verum eſt quod dicunt Anatomici, *totum ſanguinem in liene contentum, excrementum eſſe*: neque fellis naturam in excrementorum familia abſolutè collocare oportet. Alia eſt neceſſitas harum partium, ſi ſalium condimenta coquis vicina ſunt. Dicent, obſtructo emunctorio fellis πόρῳ χοληδόχῳ, per quod excrementa ſua deponit, ſi ſanguini permiſceatur, ſymptomata pernitioſa comitari: ſimiliter ex liene. Hoc verò non ſufficit ad excrementi naturam conſtituendam. Etenim & aliæ partes, quæ citra controverſiam ab excrementorum numero excipiuntur, in peregrinas Anatomias illapſæ, morbos & ſymptomata confeſtim producunt. De ſanguine manifeſtum eſt: & Hippocrates, in libro de Locis in homine, affirmat: τὰ μέλεα τοῦ σώματος ἔκυρσε τὸ ἕτερον τῷ ἑτέρῳ ὁκόταν ἔνθα ἢ ἔνθα ὁρμήσῃ νοῦσον παραυτίκα ποιεῖ: id eſt: *corporis ſingulæ partes altera alteri, ubi hinc vel illinc proceſſerit, morbum ſtatim facit*, &c. Quod de famoſis illis humoribus dicitur, eorumque generatione in hepate, ſanguine ſcilicet, bile, pituita, melancholia, conſideratione dignum eſt. Ex his enim cauſas & curationes omnium morborum qui ex materia pendent (ut ipſe loquitur) deduxit Galenus. Hoc eſt illud dogma, pro quo tanquam aris & focis pugnant Medici in hunc uſque diem. Caligas potius, quam tam ſpecioſas & proprias morbidarum cauſarum appellationes relinquerent. Hi ſunt illi humores, qui toties à PARACELSO repudiati ſunt. Operæ precium eſt depoſitis affectibus ſcrutari, in lithurgia humanæ naturæ, quid in hac controverſia veritati vicinius ſit. Primum quæremus, *an ratione Materiæ vel Efficientis contingat tanta humorum diverſitas.* Utriuſque opinor: mutuas

enim operas tradunt. *Materiam ex chylo, chylum vero ex vino, pane, carnibus, leguminibus, herbis, piscibus, fructibus, &c. subministrari in confesso est.* Nunc verò si ex iisdem nutrimur ex quibus constamus, quid in his omnibus idem esse potest? Non enim ex carnibus carnes solum nutriuntur, ex ossibus ossa, ex nervis nervi: sed ex uno pane, carnes, ossa, ligamenta, nervi, viscera, sanguis, & universa corporis membra, vitale nutrimentum hauriunt: ex carne similiter, vino, piscibus, & cæteris omnibus. Quo circa *non ex individua corporum affinitate similitudinem hanc æstimare decet*: durabilior certè & superior affinitas quærenda, quæ mutatis & destructis Individuorum proprietatibus ac surdis societatibus (ut sunt momentaneæ, omnibus impressionibus subjectæ) etiamnum valida virium potestate, consonantem Naturæ similitudinem tueri possit. Tales proprietates in Radicibus, Speciebus, Balsamis solummodo inveniuntur. Ex hoc illud est in omnibus alimentis, ex quo nutrimur, Balsamus videlicet, Mumia animalis & vegetabilis, vitale illud sulphur quod omnium alimentorum radix est; quo quæ destituuntur nutrire non possunt. Et admiranda est in Natura rerum conspiratio. Vegetabilia, Mineralium & Vegetabilium Balsamo nutriuntur. Animalia vegetali & animali: videnturque Mineralia, vegetabilia ac reliqua animantia hominibus alimenta præparare, i.e Balsamum illud vitale, ex quo proxime constituuntur universa membra humanæ Anatomiæ, & constituta assiduè nutriuntur. *In hoc Balsamo sunt Elementa & tria illa corpora, Sal, Sulphur, Mercurius: sunt excrementa, impurum illud Sulphur ac fœtidum, urina, mucilagines tartareæ, sudores, impuritatum quoque multæ species: est succus ille ptysanæ cremori similis: est sanguis: sunt spiritus, carnes, ossa, ligamenta, nervi: si Mechanicorum adsit industria: qui latentia separare possunt.* Impurum illud & fœtidum sulphur, humorem ptysanæ cremori similem, sanguinis rudimenta, urinam, multas Salium, Sulphurum, Mercuriorum species & distinctas prædestinationes, artis ministerio ostendere possumus: pituitæ, bilis, melancholiæ Anatomiam nescimus. Nec enim species nec proprietates in Natura possident: sed nomina sunt inania, fraudulenta ostentatione Principiorum insigniis superba. Quod si horum, id est, Salis, Sulphuris, & Mercurii exercitus repetitum venerit, proprietates, furtivis nudati coloribus humores, risum movebunt posteritati. Dicent nonuulli otiosas esse λογομαχίας, nova hujusmodi nomina & Principia à PARACELSO in vanum introducta: idem intelligere Galenum cum dicit febrim oriri ex bile putrida, quod PARACELSUS nova interpretatione declaravit, dicens *febrim esse Sulphur nitrosum accensum*: ita cum di-

cit Galenus Colicam esse ex pituita vitrea, idem declarari quod apud PARACELSUM dicitur, *Colicam esse ex mucilagine Tartarea, aluminosa & styptica:* idem significari sive dicatur Calculum generari ex pituita, ut Galenus, *sive ex mucilagine marmorea, alabastrina, arenosa, bolari,* &c.ut PARACELSUS: sive dicatur Podagram ex sanguine, pituita, melancholia, bile ac serosis humoribus generari, ut Galenus, sive *ex Sale Mercuriali subtilissimo & acutissimo*, ut PARACELSUS: sive dicatur Cancrum oriri ex melancholicis humoribus velata bile, ut Galenus, *sive ex sale æruginoso & ferrugineo*, ut PARACELSUS. Sed vehementer errant. Magna est differentia. Etenim qui dicit ex bile febrim oriri, bilem in mundana Anatomia non inveniens, multa caliditatis & siccitatis ope utetur, ut signaturarum ac febrilium symptomatum causas interpretari possit: sed frustra: imaginarias solummodo inveniet. Qui vero ex nitroso Sulphure constitui febrim asserit, hujus Sulphuris Anatomiam in multis speciebus mundanæ Reipub. deprehendens si ad incudem reduxerit Astris exaltatis, fructus & symptomata febrium in proprietatibus specierum manifestè animadvertet. Ita horrores, rigores, frigiditates, calores, sitim, vomitiones, sudores, somnos narcoticos in paroxysmorum initiis, dolores capitis, deliria, & statas accessionum repetitiones, quod apud Galenistas miraculosum est, magna facilitate interpretabitur, proprietatum fideli ministerio adjutus. Rursus qui bilem febrium causam statuunt, in curatione digestiones, incrassationes, refrigerationes, attenuationes, incisiones, purgationes, nescio quibus Syrupis & Pilulis molientur. Qui verò nitrosum Sulphur febres committere pronunciant, de resolutione & consumtione meditabuntur, qua absoluta, fideli remediorum securitate muniti, Naturæ loca & vias evacuationis committent, sive per alvum, sive per urinas, sive per sudores, sive per insensiles transpirationes resolutam materiam propulsare voluerit. Sed de his in morborum & remediorum explicatione tempestivius agemus. Ipsi quoque Medici vomitione rejectam bilem, æruginis proprietates referre sæpenumero animadverterunt: itaque ærugineam bilem appellaverunt. Interdum porri qualitates manifeste repræsentabantur, hanc porraceam confestim nominarunt, & dubitationes novas attulerunt, an scil. in ventriculo talis generari posset. Alium conspicati sunt humorem, terram fermentare, bullas excitare, similitudinem amurcæ, fœcum vini vel Tartari (si licet) ostendere, hanc atram bilem dixerunt, quòd *si fermentaceam vel tartaream dixissent, Naturam certè non offendissent.* Et quia per vomitum plures humorum species non ita frequen-

frequenter rejiciebantur tam claris ſalium proprietatibus inſignitæ, relictis veris nominibus, phantaſtica introduxerunt, famoſas & infames vel majoris ac minoris famæ biles proponentes, vitellinam, aduſtam, &c. Eodem pacto pituitam ſalſam ac acidam ſæpe animadverterunt. Si verò Salium Anatomiam antea didiciſſent, deprehendiſſent nitroſam, aluminoſam, vitriolatam, ſalgemmeam, & ſi herbas quoque ſalium proprietates continere crederent, aronis, urticæ, chelidoniæ, flammulæ braſſicæ, ſoldanellæ, kali, centaureæ, piperis, perſicariæ, ſalia in humoribus tandem admitterent, mixtiones quoque ſalium cum ſulphuribus ſtudioſius inquirentes, ſalia ſulphurea & mercurialia magna utilitate adjungerent. Tandem ſi ſeminum ſignaturas & Generationum lithurgias in humana Anatomia olfacerent, dulcedine veritatis allecti, nulla bilis, pituitæ, melancholiæ ſeveritate, à tam clara & fœcunda Philoſophia in poſterum abſterrerentur. Tum verò non ſolùm in hepate, ſed etiam in ventriculo, inteſtinis, carnibus, ſynovia, medullis, ligamentis, oſſibus, nervis, arteriis, in pulmone, liene, cerebro, renibus, veſica, utero, teſtibus, mammillis, denique in univerſis partibus humani corporis, æruginoſum, vitriolatum, tartareum, nitroſum, aluminoſum, porraceum, urticoſum, aronicum, peperinum, perſicarioſum, generari poſſe ſancta fide jurarent: & nudis humorum appellationibus repudiatis proprietates Salium, Sulphurum & Mercuriorum avidè addiſcerent. Quòd *muſti exemplum adferunt ad Generationem quatuor humorum in hepate ſtabiliendam*, ſententiam eorum planè evertit. *Non enim humorum procreationem, ſed excrementorum ſeparationem clarè oſtendit*: & vigore hujus exempli triumphum aget PARACELSUS contra eos qui tartarea excrementa, eorumque ſeparationes, morbos & ſymptomata derident. Hippocrates longè aliam rationem humorum inſtituit lib. 4. de Morbis. Primùm, fontem omnium, *ventriculum tanquam commune penuarium collocavit*: quatuor deinceps particulares fontes *cor quidem ſanguinis, caput pituitæ, folliculum fellis bilis, lienem aquæ*, adjunxit. Rationem verò conſilii ſui paulò poſt innuit, dicens, in omni alimento ineſſe quiddam ſanguineum, bilioſum, pituitoſum & aqueum, ac conſentanea conſentaneis diſtribui. Quemadmodum in terra ſunt facultates omnigenæ & innumerabiles, *δυνάμεις παντοῖαι καὶ ἀνάριθμοι*: *unaquæque verò planta ſimilem trahit ac naturæ ſuæ familiarem.* Ubi demonſtrat ſe in humorum diſpenſatione non Elementis vel nudis qualitatibus animum adhibuiſſe, ſed proprietatibus, iiſque variis, omnigenis, innumerabilibus. Hinc proprietatum copiam ad certa quædam genera reducere conatus eſt,

nan

tanquàm ad matrices & familias in quibus illustria de se testimonia sæpe præberent. Idem manifestius in libro de Humana natura interpretatur: ubi *certis anni temporibus singulas humorum species in corporibus abundare, & medicamentorum purgantium diversa facultate, diversos evacuari affirmat*, in quibus tamen perpetuò adsint proprietates, quemadmodum in terra dulce, acidum, amarum, acre & omnigenum, quarum separatione & exaltatione morbi contingunt: quod in libro de Antiqua Medicina exposuit. Hac ratione observationes Hippocratis & inchoata Medicinæ theoremata excusare possumus: videlicet, quod *multa semina iisdem proprietatibus insignita, in humoribus similibus tanquam matricibus & agris consentaneis fundentur. Quæ semina ac proprietates, ubi ad maturitatem pervenerint, fructus producunt tali humorum signatura vestitos. Consentanea verò cum sint hujusmodi semina, iisdem locis vel humoribus recepta, & fructuum similitudine conjuncta, curationes quoque admittunt communes. Quæcunque enim in petuitosis corporibus anatomiam habent* (qualia sunt illa quæ hyeme ascendunt) *medicamento pituitam evacuante sanantur: quæ verò in biliosis* (hæc æstate ad maturitatem perveniunt) *medicamento bilem ducente tolluntur: quæ in melancholicis* (talia autumno resolvuntur) *analogo remedio obtemperant: quæ in sanguine* (verno tempore hujusmodi exoriuntur) *venæ sectione sanantur.* At verò ii *morbi leviores sunt* & anniversarii, Hippocratis ætate consueti. Nostris temporibus *graviores incubuerunt, quorum generatio laboriosa est & intricata, curatio verò, multorum juditio, planè desperata*: nec veratrum, nec onicum, nec colocynthis, nec ebulus satisfacit. Necessitate igitur adactus PARACELSUS Medicinæ Theoremata dilatavit, morborum semina & Generationes exquisitius rimatus, curationes præstantiores ac remedia altiora adjunxit, morbos, medendi rationes, & remedia Hippocratis ætate consueta sub Diæta & justo ægrotorum regimine claudens. Interdum quoque humorum mentionem facit, quoties Tincturarum & excellentium Arnacorum virtutes exponit, dicens, *harum potestate & usu nec melancholicum nec phlegmaticum quippiam in corporibus coacervari posse: adeoque tutos reddi homines ab externorum Elementorum anniversariis, menstruis & diurnis impressionibus*: quod in Archidoxis præparationum videre licet. Hanc humorum censuram hoc loco sufficere arbitror: alibi severiorem actionem instituemus. Actionum naturalium administrationes in singulis partibus hoc loco recensere Compendii leges non admittunt. Qui diligenter quæ à nobis dicta sunt examinaverit, sine labore aliis accommodare poterit, servata seminum, locorum & Mechanicorum ana-

analogia. Sed unde digressi sumus revertamur, & humanæ Astronomiæ harmoniam adjungentes exemplis illustremus. *Superiora Elementa, scilicet Firmamentum & Aër eorumque astra, fructibus ac resolutionibus inferiorum foventur, inferiora vicissim benignitatem superiorum experiuntur. Ita in corde, cerebro, pulmonibus, arteriis, nervis, &c. naturalium actionum administrationes conspiciuntur, suos habent ventriculos,* ut loquitur PARACELSUS. *& spiritus mechanicos* attractionum, retentionum, separationum, coagulationum, digestionum, distributionum, expulsionum authores. *Ubicunque verò tales spiritus reperiuntur, ibi concoctiones celebrari, & ventriculi officia absolvi necessarium est. Spiritus enim sunt qui esuriunt & sitiunt, qui saturantur, & saturati fructus emittunt sanitatis vel morborum nuncios.* Ita nulla nominum injuria dicemus in sangine ventriculum esse, concoctiones, nutritiones, attractiones, separationes, & similes actiones in sanguine administrari. Similiter in Synovia, in ligamentis, in ossibus, in carnibus, & multò magis in vitalibus spiritibus cordis ac arteriarum. Alimenta certè dissimilia sunt, utpote locis & Mechanicis consentanea. Non enim tam crasso & impuro alimento nutritur sanguis quemadmodum ventriculus, intestina, & primæ alimentorum officinæ, nec sanguinis nutrimentum, synovia, carnibus, ossibus, ligamentis accommodatum est, nisi subtiliorum Mechanicorum industriam antea experiatur. Sic Firmamenti astra, vel vitalis spiritus cordis & arteriarum alimento fruuntur puro ac spirituali, ab astris, inferiorũ elementorũ ante pręparato & benigna nutricatione ad maturitatem pervenientia, fœcunda fructuum resolutione vices rependunt, mutuaq; officiorum communicatione societatem humanæ Reipublicæ custodiunt. *Nec mirum est tantam Elementorum & astrorum diversitatem, tam amicè conspirare. In una radice fundantur omnia, in Balsomo scilicet animali, cujus prædestinationes, Scientias & officia, diversis disjunctis & sæpe contrariis instrumentis ordinatè absolvunt.* Omnibus enim Elementis & Astris hujus Radicis vel Balsami conspirantibus ac pensum debitè facientibus Astronomia humana stabili & rata motuum vicissitudine procedit, actionesque ostendit sanitatis indices. Quemadmodum *in mundana Anatomia, ortus astrorum certis temporibus fructuum tempestivis resolutionibus, anni salubritatem tuentur.* Nunc pluviarum stellæ commodius resolvuntur: nunc ventorum: alias serenitatis, caloris: interdum nivis, frigoris, pruinæ: interdum Mannæ species, felicius cadunt: alias Zephirorum genitalis defluxus desideratur. Et interrestri Astronomia, nunc rosæ, violæ, narcyssi germinant: nunc legumina, fru-

frumenta, vites, arbores, &c. & universæ plantæ, singulæ suas periodos observant, nisi sterilitatis ac morborum causæ intervenerint.. *Ita in humana Anatomia, astra superioris globi, id est vitales spiritus cordis & cerebri, imbribus, serenitate, caloribus, fœcundo roris ac Zephyrorum defluvio, fructibusque similibus, inferiorum Elementorum semina benignè irrigant, quibus silentibus marasmi, sterilitates & tabes contingunt, utcunque alimentornm copia colliquescentes partes & ad cariem festinantes, sublevare conentur ægroti.* Rursus inferiora astra, rosas, violas, melissas, valerianas, vites, fruges, aurum, argentum, rubinos, saphyros; continenter ex alimentis, producunt: *non quod formarum externas signaturas in homine demonstrent* (Transplantatione enim externa vestimenta amiserunt) *sed quia proprietates similes in spiritualibus corporibus, humanæ Anatomiæ domesticis producant, ex quibus superiora astra fomenta recipiunt, ac universa officiis & actionibus opportuna redduntur.* Eodem quoque pacto digesta seminum tempora in homine transplantantur: breviores enim habent periodos, easque continuas: quamvis in Olympo etiam reperiantur sydera anniversariis circuitibus ascendentia, menstruis, & diurnis. Sunt & alia quæ longiore intervallo ad maturitatem perveniunt, de quibus in hæreditariorum morborum generatione dicemus. *Menstrua astra in mulieribus manifestè conspiciuntur, & in viris nonnullis.* Hæmorrhoides verò annuos circuitus ut plurimum observant. Somni Ascendentia, diurnas habent revolutiones, & proprietates possident papaveris ac lactucarum, quales in Luna nocturnisque syderibus vigere, Sensus testantur & ratio confirmat. Has Astrorum revolutiones in humana lithurgia ante nos adduxit Hippocrates. Ita enim scribit, in libello De Insomniis. ἄςρον μὲν οὖν ἡ ἔξω περίοδος. ἡλίου δὲ ἡ μέση. σελήνης δὲ ἡ πρὸς τὰ κοῖλα. ὅτι μὲν οὖν δοκοίη τούτων τῶν ἄςρων σβέννυσθαι ἢ βλάπτεσθαι, ἢ ἀφανίζεσθαι ἢ ἐπίσχεσθαι τῆς περιόδου, κατ' αὐτὸ τὸ μέρος καὶ τὴν νοῦσον προσγίνεσθαι, &c. i. e. *Astrorum circuitus exterior est in corpore, Solis medius, Lunæ verò ob cavitates. Quodcunque igitur horum Astrorum, vel extingui, vel lædi, vel obscurari, vel à circuitu suo (per insommia sc.) cobiberi videtur, in eadem corporis regione morbum latere significat,* Κοιλίας appellat ventriculum, intestina mesenterii venas, hepar, lienem, & primas alimentorum officinas. In iis enim ob impuritatem alimentorum, & momentaneam trium Principiorum naturam celeres sunt periodi, plenilunia velocia, ac reliqua tempora similiter. Medium circuitum in corde, cerebro, in sanguine collocat Hippocrates, ubi puriora sunt Elementa, semina & astra, constantioribus Principiis ornata; motus proinde edunt

edunt ſtabiles non ſeneſcentes, Solis naturam in hoc imitantes. In ſynovia, carnibus, ligamentis, oſſibus, membranis, &c. ſpiritus vigent mechanici & ſemina, aſtrorum diuturnos circuitus imitantia. Morborum periodi, hanc revolutionum analogiam confirmant. Tarda enim ſunt plenilunia eorum morborum, qui in circuitu aſtrorum, vel in habitu corporis, ut loquitur Galenus, fomites & mineras habent: celeriora eorum qui in cavitatibus fundantur. Idem planius interpretatur libro primo de Diæta: dicitqus Naturam vel ignem in hominis generatione triplices circuitus facultate diverſos dinſtinxiſſe. Ἐποιήσατο πυρὸς περιόδους τρισσὰς, περαινούσας πρὸς ἀλλήλας καὶ εἴσω καὶ ἔξω. αἱ μὲν πρὸς τὰ κοῖλα τῶν ὑγρῶν, σελήνης δύναμιν. αἱ δὲ ἐς τὴν ἔξω περιφορὰν, πρὸς τὸν περιέχοντα πάγον, ἄστρων δύναμιν. αἱ δὲ μέσαι, καὶ εἴσω καὶ ἔξω περαίνουσαι, τὸ θερμότατον καὶ ἰσχυρότατον πῦρ, ὅπερ πάντων ἐπικρατέεται, διέπον ἅπαντα κατὰ φύσιν. ἄψοφον καὶ ὄψει καὶ ψαύσει, ἐν τούτῳ ψυχὴ, νόος φρόνησις, αὔξησις, κίνησις, μείωσις, διάλλαξις ὕπνος, ἐγρήγορσις, τοῦτο πάντα διὰ παντὸς κυβερνᾷ καὶ τάδε καὶ ἐκεῖνα, οὐδέποτε ἀτρεμίζων. id eſt: *Fecit ignis circuitus triplices, mutua ſocietate tam intus quàm foras conſpirantes. Quæ in cavitatibus, humiditatum officinis circuitus habent, Lunæ poteſtatem, motus & maturitates referunt: quæ verò exterius, ubi ſolidiora conſiſtunt membra revolutiones abſolvunt, aſtrorum imitantur proprietates: quæ in medio conſiſtunt, robuſtiſſimi ignis naturam continent, qui intrò & foras per omnia tranſiens, omnibus dominatur; idque occulto ſilentio, nec enim viſu, nec tactu conſpicuus eſt.* In hoc igne, id eſt, in aſtris mediæ hujus revolutionis, Anima, mens, prudentia, augmentum, motus diminutio, tranſmutatio, ſomnus, vigilia deliteſcunt. Ibi ſpiritus eorum mechanici, Aſcendentia, ſpiritualia corpora, actionum proxima inſtrumenta radices habent. Hæc omnia morborum accidentia manifeſtius declarabunt. Nec omnia quæ de his dici commodè poſſent, hoc loco adducere tempeſtivum eſt. Itineris ſolùm initia candidè hoc loco demonſtravimus: progreſſus & abſolutiones ubi viſum fuerit adjungemus. Pœnitentia & grata diligentia, prædeſtinationum diuturna tempora accelerabunt. Interea naturalium facultatum adminiſtrationem tali formula conplectemur.

Actiones omnes naturales à ſpiritibus proficiſci iiſq; differentibus ſubtilitate, craſſitie ſecundum actionum analogiam. Progreſſionem ſeminum & ſcientiarum diſtinctionẽ, partium neceſſitatẽ attuliſſe: in iis tanquã aſtris & radicibus coacervari & quaſi ad centrum revocari ſingulorum ſpirituum theſauros, indeque perenni radiorum defluxu cuncta foveri Anatomiis eorum conſentanea. Concoctionum officinas plurimas eſſe, communeſque appellari, in quibus impuritatum ſeparationes manifeſtæ & corporeæ neceſſario

contin-

contingerent. Genrationem quatuor humorum, sanguinis, bilis, pituitæ, melancholiæ in hepate phantasticam esse, in sanguine enim tanquàm Elemento innumerabilia semina, eaque proprietatibus trium principiorum insignita contineri, superiorum Elementorum Astra fructibus inferiorum nutriri, & rursus inferiora superiorum favore non destitui, sed cuncta opportunis temporibus debite conspirare, revolutionumque suarum periodos inviolatas custodire, nisi prævaricationes peregrinorum seminũ inimica Transplantatione irreperent, de quibus sequenti Capite agemus.

CAPUT XII.

De Morborum Generatione & Transplantatione.

In rerum naturalium contemplatione, de quibus hactenus egimus, comites sæpe habuimus Philosophos. *Sensuum enim ministerio, exigua adjuncta observatione, plantarum & animalium origines deprehendi possunt, seminaque possident manifesta.* At verò *morborum explicatio quia semina occultiora obtinuerunt, & Generationes Transplantationesque in Naturæ officina absconditas, nec sensuum arbitriis, nec syllogismorum superbis decretis subjectas,* intricata planè, *& à paucis comprehensa est. Aristotelici Privationum familiæ morbos asscripserunt*, tanquam defectus & errores Naturæ, in quibus nec formæ nec differentiæ, nec essentiæ reperiuntur. *Platonici*, posteaquam Ideis distituebantur (neque enim defectibus, neque malis Ideas concesserunt) veriti ne longius ab Entium pulchritudine discederent, morborum contemplationem sterilem reliquerunt præcepti Platonis memores, jubentis, *descendentes ubi ad Singularia pervenerint, ea relinquere & infinitati concedere. Medici* verò quibus hæc provincia præcipuè commissa fuit, quia Philosophorum patrocinium amiserant, *observationibus inprimis contenti, morborum essentiam & naturam tanquam impervestigabilem inter Transcendentia reliquerunt.* Itaque ex quibus causis antecedentibus, quales sequerentur ægritudines studiosè notarunt: & tandem causarum immensam varietatem ad certos ordines reducentes, artificiosas morborum prædictiones, præservationes & curationes inde derivare conati sunt.

Hinc apud Hippocratem *distinctiones morborum* variæ conspiciuntur, *ratione causarum efficientium*, à quibus procedunt. In libro De humana Natura,

tura, *morbi* (inquit) *alii, à Diæta fiunt, qua homo utitur: alii à ſpiritu quem attrahimus. Signa adjungit ubi eodem tempore plurimi uno morbo corripiuntur, à cauſa maximè communi, qualis eſt ſpiritus, tales generantur, cum vero diverſi diverſos occupaverint à Diæta contingunt.*

Eodem modo *febres tanquam communiſſimos morbos*, libro de flatibus diſtinguit: *alias affirmans communes eſſe, quæ ab* Aëre vel ſpiritu proficiſcuntur, ſpiritu dico morbidis excretionibus inquinato: alias verò privatas, quæ à Diæta ortus ſui primordia acceperunt. In libello de humoribus inquit: *Morbi alii cognati ſunt, quos ab ipſis ægrotantibus interrogando diſcere licet: alii à regione; nonnulli ex Diæta: quidam ex temporum conſtitutionibus.*

Libro de morbis primo, ſimiliter Περὶ παθῶν, De affectionibus ſtatim initiò, *morbi* (inquit) *omnes hominibus à Bile & Pituita fiunt, tanquam in corpore exiſtentibus: excitantur verò hæc à cibis, potibus, laboribus, calido ſupercalefaciente, frigido ſuperfrigefaciente, ſuperexiccante, &c.* Hic Bilem & Pituitam tanquam communia Elementa & matrices omnium morborum, qui à ſemine interno producuntur, conſtituit. In illis enim, tanquam in terra, omnigenæ facultates latent, acerbum, acidum, auſterum, ſalſum, amarum, acre, &c. Quæ proprietates ubi ſeparantur, & ab aliis ſeperata ad Exaltanionem perducuntur, morbos pariunt. Separationes verò accelerant vel retardant, admovenda, facienda, & fòris incidentia, id eſt, calidum ſupercalefaciens, frigidum vehementer refrigerans, cibus, potus, venus, labores, animi affectus, caſus, contuſiones, vulnera, &c. Rurſus de antiqua Medicina: *morbi*, inquit, *alii fiunt* ἀπὸ δυνάμεων alii ἀπὸ σχημάτων. Δυνάμεις appellat τῶν χυμῶν τὰς ἀκρότητας & ἰσχύς, id eſt *humorum Exaltationes, ſummitates, poteſtates, ſummas vires*, &c. Ubi explicat quo pacto humores morbos generent. *Non quia calida & ſicca eſt Bilis, propterea Hippocrati morborum genetrix cenſetur: ſed quia* δυνάμεις *in ſe continet, quæ* ὅταν μετέωρα ἢ ἄπεπτα καὶ ἄκρητα, Id eſt, *quando exaltata fuerint, incocta & ab aliis ſeparata ſummas vires ac extremas poteſtates calamitoſa ſymptomatum pernitie oſtendunt.* Figurarum & cavitatum morbi, omnibus noti ſunt. Libello de alimentis, morborum differentias ex locis & partibus in quibus foventur deduxit. *Morborum differentia* (inquit) *in alimento, in ſpiritu, in calore, in ſanguine, in pituita, in bile, in humoribus, in carne, in pinguedine, in vena, in arteria, nervo, membrana, oſſe, hepate, ſplene, cerebro, utero, renibus, ventriculo, inteſtinis*, &c. Empirici Hippocratem ſecuti cauſarum morborum & ſymptomatum concurſus collegerunt, illuſtres differentias

longa

longa experientia in ſingulis ordinibus notarunt, & notatas diſcipulis ſuis fideliter communicaverunt. *Galenus* verò, qui & ipſe Præceptoribus uſus eſt Empiricis, longitudinem artis peroſus & Experentiæ diuturna tœdia, Geometricorum ſcholas acceſſit: ubi Demonſtrationum vigorem ac Methodorum expeditam brevitatem admiratus, cogitare porrò cœpit, an Medicæ arti Geometricorum Methodis operæpretium aliquod adferri poſſet: habitaquè deliberatione ad Medicos redire ſtatuit.

Ita *Methodorum* (rei novæ & apud Meditos ea ætate inauditæ) *miraculo inſignis artem confuſam in ordinem primus revocavit: dubia Demonſtrationum lege conformavit: obſervationes tamen & experientias Hippocratis* (quia Principia Demonſtrationum habere oportuit) *ratas & ſtabiles ubique conceſſit.* Hanc enim narrationem ac hiſtoriam de ſeipſo in omnibus propemodum libris copiosè proſequitur, Quia verò morborum natura ab Empiricis & ipſo Hippocrate non ſatis explicata erat, & differentiæ copioſæ quidem, ſed confuſæ ab omnibus adducebantur, *mirabili inveſtigatione & ſubtili Methodo obſcuritati opem tulit.* Etenim in prioribus libris Methodi medendi, quatuor rerum genera inter ſe diſtincta propoſuit, *Actiones, actionum Proximas cauſas, Antecedentes, evidentes ſive externas:* in hiſce ordinibus morbum neceſſario contineri. Cœteris excluſis, in actionum Proximis cauſis morbos verſari demonſtravit.

Actionum Proximas cauſas eſſe partium diatheſes, conſtitutiones vel diſpoſitiones, &c. Eas autem integrari juſta Elementorum temperie, conformatione & unitate, quorum ſymmetria ſanæ, ametria morboſæ actiones ederentur. Cauſas deinde morborum *Antecedentes, in humoribus contineri aſſeruit.* Quapropter ex partium ſynumero, pituitam, bilem, melancholiam, ſanguinem, & immeritam ſynoviam ſecluſit. Vide calamitatem ſenſibilium Methodorum in occulta Naturæ lithurgia. Etenim adhuc incomprehenſum eſt in Schola Galeni, quidnam ſint Elementa, quomodo miſceantur, & an actionum omnium cauſæ ab Elementorum temperie proficiſcantur.

Fernelius certè *totam Subſtantiam, Formam eſſentialem, proprietatem abditam, aliud ab Elementis eſſe confirmat, diviniorem que obtinere originem.*

Itaque nova ſimilarium morborum genera poſuit, Formæ ſcilicet vel totius Subſtantiæ: in quorum familia luem veneream collocavit. Fracanzanus Vicentinus, in qualitatibus Galenicis mortuus & ſepultus eſt, magna ſeveritate Novatores illos deteſtatus, qui occultarum proprietatum & totius ſubſtantiæ nomina in Medicinam introduxiſſent. Se primùm

animadvertisse morbum Gallicum esse intemperiem calidam & siccam, innominatam tamen, opinionemque suam confestim Montano placuisse. Ita quoties alii occultarum proprietatum, & totius Substantiæ appellationibus triumphabant, ipse, veteranus ac strenuus miles, innominatas Temperies opposuit. Obscurum nihilominus & inexplicatum remansit, quidnam in corpore humano esset, in his & similibus morbis, à quo proximè læderentur actiones, sive Occultum sive Innominatum diceretur. Tanta est difficultas, obscuritas ac repugnantia in Diathesi illa Galenica. *Alii Medici, relicta nominum subtilitate, à rebus ipsis veritatem eruere conati sunt.* Quocirca in morbis nonnullis manifestioribus, sensuum propemodum beneficio deprehenderunt aliquid, à quo proximè videbantur actiones lædi vel impediri, cui Morbi appellationem confestim imposuerunt, gaudentes se Διαθέσεως obscuritatem, hac rerum evidentia tam facilè sustulisse. *Hi, humores lateri impactos, hepati, lieni, ventriculo, venis, &c. morbos dixerunt, & Calculum in vesica similiter. Posito enim humore crasso, & mucilaginoso, in hepate, liene, mesaraicis, &c. lapide in orificio vesicæ, proximè nullius interventu lædi vel impediri actiones, constanter asseverabant.* Quemadmodum lapillosa mucilagine ante pupillam collocata, confestim impediri visum, qua sublata subitò restitui. Sed gaudium eorum non fuit diuturnum. Surrexerunt enim adversus, nominum & *Prædicamentorum Decoctores, conquerentes universas Naturæ & doctrinarum leges hoc pacto confundi*, causarum effectuumque discrimina inconsiderate negligi, *Qualitates in Substantia collocari sacrilego ausu. Morbum* enim cum Diætheses sit, *in Prædicamento Qualitatis contineri: ibiquè Differentias, Species & totam œconomiam possidere, eos verò humores crassos, lapides* (substantias planè) *morbos nominare.* Hinc quæstiones novæ in Medicinam introductæ sunt de causa Continente morborum, & subtilitatibus allatis, quas nulla mentis celeritas assequi posset, omnia repleta. Etenim quia sensuum testimonia urgebant priores, subtili celeritate opus fuit, si à rerum tam manifesta evidentia abstrahi deberent. *Ita enim Præstigiatores, ubi sensus fallere volunt, peregrinis objectis & insueta celeritate utuntur.* Quocirca, quia inter causas Continentes morborum & læsas actiones, in rebus ipsis nihil invenire poterant, quod intercederet, cujus interventu morbi ipsi à causis Continentibus rectè distinguerentur, nomina quædam interposuerunt subtilitatibus confestim comitata. *Inter albugineam & lapillosam mucilaginem ante pupillam collocatam* ac videndi functionem impeditam, sensuum judicio nulla causa effectui propinquior intervenire videbatur, & ratio-

rationis consensus (si precipuæ Indicationes curativæ à morbis ipsis sumuntur) accessit. Ablatio enim illius materiei principatum obtinet in curatione prædicti morbi: At vero posteriores, Obstructionis nomen interposuerunt: humorem illum lapideum vel corneum causam esse, Obstructionem vero morbum: im memores quod hoc pacto morbum ex causarum ordine excluderent, de cœteris idem fuit judicium. *Calculum enim in vesica, Continentem esse causam, Obstructionem vero morbum. Sic mucilaginosum & crassum humorem in venis mesenterii impactum, Continentem esse morbi causam, Obstructionem vero morbum*, &c. Alioquin videbantur tales morbi in numero esse, &, si numerarentur, Substantias ponere, Obstructiones autem cavitatum, & meatuum prævaricationes, ad Qualitatem commodè educebantur. Sed planè ridiculi sunt: nec enim Prædicamenta intelligunt, nec generum & specierum ordinationes instituere sciunt. Etenim *si aliquid agit morbus, in causarum numero procul dubio recipietur, sive Relationis sive qualitatis labyrinto claudatur. in causis vero ordinationem Generum & Specierum non animadverterunt.* sane *quod remotissimum est ab affectu producendo, generis rationem obtinet, quod vero proximum, Individuæ Speciei. Effectus enim ipsi, in hac coordinatione, Individuorum rationem gerunt.* Itaque alpium lapides & montes Averniæ, transcendentia sunt hoc loco: quorum metu deterritos fuisse illos arbitror, qui lapides in vesica, renibus, intestinis, & similes Substantias à morborum catalogo excluserunt, ne forte lapidum tam immensa copia, tædia & ærumnas Medicis in ævum parerer. *mucilagines vero lapideæ, tartareæ bolares, vel secundum Galeni lyram, pituitosæ & melancholicæ, quæ in leguminibns, frumentis, aqua, vino, cerevisia, carnibus &c. continentur, genera generalissima, horum usu, frustrata separatione & expulsione in corporibus coacervatæ mucilagines viscidæ, sive in ventriculo, sive in intestinis, sive in mesaraicis venis, sive in hepate, sive in renibus, sive in vesica, sive in alia quacumque tandem cavitate, Genera sunt subalterna: ubi verò exaltantur, & copia ac qualitate meatus obstruunt, symptomatumque pernicie hominibus innotescunt, species sunt Individuæ & postremæ: actiones verò læsæ vel impeditæ indivua sunt, in harum causarum progressione. Itaque inæqualis fuit sors Generum & Specierum in hac coordinatoone*, Species enim & Genera subalterna, quamvis in corpore continebantur, nihilominus quia latitabant, nec sensibilem aliquam affectionem Anatomistis io corpore demonstrarunt, nominum privata insignia amiserunt, & causarum antecedentium collegio ascripta sunt, individuæ autem Species vel infimæ ultimæ, proximæ (quomodocumque appellare libuerit) quia corpoream affectionem ostendunt manifesta actionum læsione conspicuam, Obstructionis nomen à similitudne obtinuerunt. Putabant enim Anatomistæ,

materias omnes obſtruentes mortuas eſſe, nec aliis cauſis ſymptomatum calamitates aſſcribere poterant, niſi quia corporea mole tranſitus humorum impedirentur. Quorum errores manifeſtius poſtea detegemus: nunc enim Logici ſumus. Et hac ratione inter morbos inſtrumentarios relatæ ſunt obſtructiones, nomenque Obſtructionis, Speciei rationem habet, humores vero mucilaginoſi, aluminoſi, vitriolati, lapidoſi, bolares, arſenicales, antimoniales, ſulphurei, vel ſecundum Galenum, pituitoſi, melancholici, in ventriculo, hepate, meſenterio, renibus, veſica, venis, muſculis, membranis, &c. Individuorum vel proximarum ſpecierum, Et quemadmodum, dicebat Hippocrates de alimento, τροφὴ ȣ̓ τροφὴ, ἢν μὴ δύνηται τρέφεσθαι, ὄνομα τροφὴ ἔργον δὲ ȣ̓χὶ ἔργον τροφὴ, ὄνομα δὲ ȣ̓χί: id eſt, *alimentum non alimentum: ſi enim nutrire non poteſt, inane nomen eſt ſine opere & ſubjecta re, ſi verò nutritione opus deſtinatum oſtenderit, alimentum eſt & non inane nomen*: ita & nos de Obſtructione dicemus: *Obſtructio non Obſtructio: ſi enim aliquid in cauſarum ordine deprehenditur opere & poteſtate præditum cui Obſtructionis nomen competit, opus eſt Obſtructio, ſi verò nihil tale conſpiciatur, nomen eſt inane. Duplicem nunc ordinem demonſtrabimus in morborum progreſſionibus: Primum Realem*, ex coordinatione & ſerie cauſarum efficientium pendentem, qualem deſcripſimus. *Alterum nominalem* in quo morbus, *Generis ſupremi locum tenet, Obſtructio Speciei, mucilaginoſa materia hepati impacta, Individui.* Similiter *morbus genus eſt, febris ſpecies, calor in corde accenſus ſecundum Galenum, Individuum.* Quemadmodum autem calorum in corde accenſorum diverſitates, Individuorum claſſes conſtituunt in frebribus: ita differentiæ materiarum mucilaginoſarum in diverſis locis humani corporis, Individuas Obſtructionum differentias pariunt *Aliæ enim ſunt inflammatæ, aliæ non: quædam acutæ, quædam chronicæ.* Quæ omnia ex proprietatibus ſpecierum mucilaginoſarum proficiſcuntur. *Arſenicales enim & ſulphureæ inflammantur, aluminoſæ non: arſenicales acutæ ſunt, aluminoſæ & vitriolatæ, chronicæ, &c.* Sed quærent à nobis nonnulli, in quo Prædicamento, nos morbum collocemus. Quibus reſpondemus, nos *Prædicamenta in morbis collocare, non morbos in Prædicamentis, & nomina rebus accommodare, non res nominibus ſubmittere, & ſignaturas ex radicibus ordinatè educere, non verò radices in ſignaturarum anguſtiis collocare.* Et niſi multos offenderem, dicerem uſum & naturam Prædicamentorum à paucis intellectam, à nullis autem, quod ſciam, hactenus explicatam. In libello noſtro de nominibus & rebus, copioſè de his egimus;

gimus: quorum umbram huc adducemus, ut lucis imagine à tenebris revocentur plurimi. *Semina, Astra, Radices, Principia rerum, in quibus Prædestinationes, Scientiæ & Dona continentur, fundamenta sunt corporum, Quantitatum, Qualitatum, ac Relationum.* Quia in suis Scientiis & occultis thesauris insitas habent Rationes omnium. Rationes dico non momentaneas, mortuas & instabiles: sed vivas, efficaces, potestate plenas, astrales planè. Hæ ubi explicantur Elementa & corporum Principia consentanea sibi asscifcunt, quemadmodum sæpe à nobis dictum est: & paulatim ex incorporeis corporea constituunt, ex invisibilibus visibilia producunt, idque ordinata progressione, proportionum legibus inviolatis: magnitudines, distantias, numeros, durationes, sapores, colores, odores, calores, figuras, qualitates omnes, conspirationes, repugnantias, & universas signaturas officiis ac prædestinationibus Radicum consentaneas, & Scientiæ conformes, admirandi artificio adjungunt: Astronomiam uniuscujusque Mysterii vel Speciei hoc pacto declarantes. *Quicquid igitur semen in Natura habet, Mysterium, Principium, Radicem: quidquid Generationum & Transplantationum fluxus moderari potest, Scientiam habet, prædestinationem accepit, vitam, potestatem obtinuit, Radices astrales posuit.* Quocirca *Prædicamentorum omnium in se rationes continet, tanquam vestimenta & instrumenta Donis opportuna: magnoque errore hujusmodi in Prædicamentorum angustiis clauduntur, cùm in suis thesauris, Prædicamenta ipsa & Prædicamentorum fontes custodiant.* Atque hæc est ratio Prædicamentorum realium: de nominalibus & abstractis, in libello de nominibus & rebus, differuimus. Quod si morbos semina habere ac Principia in Natura, si Generationes & Transplantationes ratas absolvere docere possimus, utique à Prædicamentorum carceribus nostro præsidio liberabuntur. Et videor nunc ex jocis & ludicris deambulationibus, ad seria negotia, occulto quodam ductu inscius pervenisse. Nec magna rationum deductione opus est, si experientia fidem meretur. *Hæreditarii morbi rata propagationum constantia, seminis præsentem vigorem demonstrant: Contagiosi, Transplantationis documenta ponunt: qui temporum, Regionum, ætatum proprii sunt, radices morborum in Natura contineri, stabili authoritate confirmant.* His & similibus infinitis propemodum testimoiis fidem facere possemus, morbos in Natura semina habere, Generationum & Teansplantationum circuitus custodire, prædestinationes, Scientias & signaturas Scientiis opportunas possidere. Nihilominus quia Priscorum Philosophia in contemplatione morborum manca est, originem, primas radices & radicum progressiones

siones breviter adjungemus. *Semina & Principia rerum in thesauris Elementorum invisibilibus ab initio collocato, generationis & multiplicationis vim acceperunt, virtute Verbi illius, cujus imperio universa obtemperant. Fuitque hæc prima rerum facies pura, integra, perfecta, sine corruptione & morte. At verò post prævaricationem Protoplasti, primis illis seminibus, maledictione divina, novæ supervenerunt Tincturæ, quarum mixtione in calamitosam sortem transpantata est totius creaturæ pulchritudo: Remanserunt nihilominus prima semina, sed novis & infelicibus vestimentis obducta.* Hæc est Anatomia morborum mortisque: in cujus explicatione Medicos versari oportet. Neque enim satis est, quòd Privationes à nonnullis appellentur, qui nobilitatem & puritatem primorum seminum respiciunt, propterea eorum contemplationem relinquere & infinitati concedere, tanquam sint essentia, natura, ac propritatibus inania quædam, omnia essent in Subjectis. *Acceperunt enim ab eadem potestate, sc. voce divina vim Multiplicationis & Transplantationis, essentiam quoque & proprietates, ex quibus integra constituitur Philosophia, Astronomia, Physica & Alchimia.* Etenim, qui stellas posuit in Firmamento, qui mari terminum collocavit, qui terræ pulcritudinem plantarum fœcunditate ornavit, idem potestate incomprehensibili, tribulos, & spinas prævaricationum individuos comites adjunxit. *Itaque radices acceperunt in abyssis, & temporum certas prædestinationes in ævi consumtionem duraturas. Perfectis verò rerum seminibus miscentur, mixtaque cohærent.* Et difficile intellectu esset, quo pacto puræ incorruptæque naturæ tanta impuritas misceri posset, quo pacto in vitæ Republica mortis Anatomia hospitia inveniret, nisi infinita ipsius potestas, qui vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt, ab hac nos liberasset dubitatione. Hæc est illa mixtio in qua antea dicebamus imperfecta vel impura perfectis misceri, cujus efficientia fructus omnium Elementorum, mortem vitæ adjunctam habent, separandam secundum digesta temporum momenta. *Neque enim solùm in homine Anatomia mortis & morborum delitescit, sed etiam in animalibus, in plantis, in mineralibus, in fructibus firmamenti & aëris.* Quamvis autem Creationis multa mysteria hoc loco opportunè adduci possent, Platonicorumque materiales defectus & Peripateticorum Privationes tempestivè corrigi: nihilominus non sine consilio, contemplationibus VITÆ LONGÆ, reservabuntur. Hic verò Anatomiam mortis in fructibus Elementorum ostendisse, proposito nostro abundè satisfaciet. Dico igitur *mortis & morborum semina radicesque, in impuritatibus*

tibus

tibus consistere arsenicalibus, sulphureis, vitriolatis, æruginosis, mercurialibus, vel in urticosis, spinosis, nappellosis, cicutosis, opiatis, &c. quæ impuritates inflammabiles sunt, instabiles, ad corruptionem festinantes: permixtæ tamen cum puris primisque rerum radicibus, quarum prædestinationes digestis dissolutionibus inimicè anticipant. Nec planè affinitate carere debent, si ad mixtionem confluunt, quo fit ut non omnia pura impuris promiscuè copulentur, sed talia talibus, domestica domesticis. Obtemperant enim radicibus rerum in generationum initiis, & fallaci servitutis imagine, opportuna nequitiæ tempora expectant: vestimenta quoque fiunt, & signaturas exhibent radicum officiis familiares. Quocirca *unicuique speciei & radici mundanæ, adjuncti sunt hospites, advenæ, impuritates, quæ sine discordia & lite in scientiis vitalibusque Principiis concurrunt: explicatæ verò in generationum & augmentationum continuo fluxu, separatæ & exaltatæ, inimicitias, dissolutionum mortisque authores, exercent.* Ita Mineralium radices, suas habent impuritates adjunctas, quæ digestis temporibus absolutis, rubigine & æruginosa corruptione dissolutionem moliuntur. Vegetabilium quoque Balsamus, hospitum & impuritatum commertio inquinatus, senectutis, morborum & mortis Anatomiam admittit. Hic corruptionum species variæ apparent, Σήψεις ἄσαπτοι, juxta proprietates & Scientias impuritatum. In quibus Mercuriales impuritates & Sulphureæ hospitantur, putredine dissolutionem absolvunt, ut herbæ ferè omnes, præcipuè Mercuriales, anguriæ, cucumeres, melones. *In quibus verò impuritates Mercuriales non sunt ita copiosa & Salium robustior natura, ἄσαπτον vel cariem expectant,* ut arbores plurimæ fruticesque nonnullæ. In radice vel Mumia animalium, quia Vegetabilibus & Mineralium resolutionibus nutriuntur, similes impuritates reperiuntur, differentes tamen secundum agrorum naturam: facta est enim Transplantatio ex provincia Balsami vegetabilis, in Rempublicam animalis: dissolutiones proinde & mortes similes experiuntur. *Humana verò radix, quia omnium favore & ministerio utitur, universis quoque impuritatibus inquinata, morborum & mortis infinitas species obtinuit.* Nec ulla est Creatura tot calamitatibus subjecta: & meritò: *fornicatione conjugia multiplicantur, ac generis nobilitate inquinata, avorum delicta luunt posteri,* quorum nepotes, & ipsi parentum scelera nequicquam incusabunt. In fructibus superiorum *Elementorum*, dissolutiones sunt veloces: aliis enim nutrimenta debent. Nihilominus suas habent impuritates admixtas, quarum efficientia morti fiunt obnoxia, ut in pluviis, manna, rore, ventis, &c. conspicitur.

Tales corruptiones in fructibus Elementorum naturales ſunt & neceſſariæ, quia rationes ſuas ac prædeſtinationes in Scientiis vitalibuſque rerum Principiis conjunxerunt, adeoque radicem & ſpeciem ipſam ſuis Tincturis imbuerunt. Quocirca Generum & Specierum mortes corruptioneſque rectè dicuntur. Contra has nulla eſt medicina. Leges enim Naturæ inviolabiles ſunt. Temporum nihilominus prædeſtinationes reliquarumque ſignaturarum, transplantare licet, ſocietatemque, ad perniciem feſtinata celeritate ducentem, interrumpere. Sunt & alii corruptionum modi, qui ex Tranſplantatione Individuorum dependent: in quibus radix ipſa non inficitur, ſed Individuæ naturæ Principia. Hîc Medicina locum habet. Tales non ſunt neceſſariæ, ac Individuis humanæ ſpeciei ob libidinem & intemperantiam, inprimis familiares: quamvis aliarum rerum Individua, ſterilitates, peſtes, & novas morborum mortiſque ſpecies, etiam experiantur, In his ſæpe uſque adeo inquinantur Individuorum radices, ut propagatione in tertiam & quartam generationem conſerventur impuritatum impreſſiones: quemadmodum *in morbis hæreditariis*, accidere videmus. *Hi ex ſeminibus proficiſcuntur, in quibus Tincturæ validæ & conſtantes vigent.* Quæ, etſi ſpecierum radicibus ex neceſſitate non cohæreant, Individuorum tamen Principia, Semina, Balſamum, efficaci mixtione tranſplantarunt. *Quicquid enim in parentibus continetur, ſive ſemen ſive morbidum, quod valida vitalique impreſſione, Balſamum & radicem humanæ naturæ afficere poſſit, Tranſplantatione hæreditarium evadit.* Hujuſmodi impreſſiones planè ſunt aſtrales, incorporeæ, ſpirituales, inviſibiles: ſed efficaces ſeminalium Rationum naturas imitantes, Srientiæ & prædeſtinanationum virtute procedentes, in quibus mole corporea non opus eſt ad corporum conſtitutiones: quæ ſapores, odores, colores, magnitudines, figuras, caliditates, frigiditates, ſiccitates & ſignaturas omnes, ex inviſibilibus theſauris deſtinatis tempotibus, interdum ſubitò, alias paulatim, magna Medicorum admiratione producere poſſunt. Hoc pacto multa continentur in parentum ſeminibus, digeſta maturitatum & exaltationis tempora, quieto ſilentio expectantia, quæ in natorum Aſtronomia inexpectata ſymptomatum clade explicantur. Quod ubi contingit, ex parentibus non leproſis, leproſi naſcuntur: *ex parentibus non podagrici, podagrici: ex parentibus non epilepticis, amentibus, epileptici, amentes.* Rurſus mutata rerum vice, interdum *podagrici non podagricos, epileptici non epilepticos, calculoſi non calculoſos generant*: quod quatuor de cauſis accidere ſolet.

solet. Vel *quia semina & Tincturæ horum morborum, Anatomiam Balsami ac Radicis humanæ, nondum potenter occuparunt, neque adhuc vitalibus impressionibus Scientiarum & prædestinationum conjugia contraxerunt.* Vel *quia seminum efflorescentiis nativitatumque momentis paroxysmorum silentia & sopitas radices habuerunt prædicti morbi: alii enim qui perpetuas habent exaltationes sine paroxysmorum requie, ut lepra, perpetuò quoque propagantur.* Vel *quia potestate naturalis Balsami, supervenientia & peregrina morborum rudimenta in utero superantur:* Vel *quia ad terminum pervenerunt sterilitatis authorem.* Speciei enim non cohærent, sed Individuis: ac proinde ætatum manifesta discrimina subeunt, interdum quarta progenie, alias sexta, nonnunquam decima, absoluta revolutione desinunt. In hac avorum & nepotum longa serie, discere licet horum morborum adolescentias, juventutes & languidas declinationes. Fit enim, ut nonnunquam in tribus Individuis adolescentiæ tempora absolvant: in duobus, manifesta symptomatum vehementia, consistentiæ & exaltationis vigorem ostendant: in tribus deinde vel quatuor evanescentis Tincturæ declinationem. Tum verò sterilitates sequuntur, radicibus exhaustis, filiiq; nascuntur à podagricis non podagrici, à leprosis non leprosi, ab amentibus vel melancholicis non melancholici, ab epilepticis non epileptici. Hęc de morborũ hæreditariorũ semine, origine & propagatione hoc loco dicta sufficiant. Testimonia certè continent *morbos semina habere, Generationes & Transplantationes moderari*: cujus rei fidem nos facere oportet. Accedamus nunc ad illas *Individuorum Transplantationes, in quibus impuritates morborum radices hæreditariæ non evadunt*: sive quia *Tincturis prædita sint invalidis & inconstantibus: sive quia exiguo tempore & rarò confluant: sive quia consonantiam non inveniant in humana Anatomia: sive quia in illis sedibus non recipiantur, in quibus Balsamus, Semen, Mumia, Radix* Naturæ *viget: sive quia Astralibus impressionibus destitutæ, ad corporeas prædestinationes declinent.* His enim de causis catharri plurimi, *febres* omnis generis, *pestes, prunellæ, lues venereæ, in nonnullis scabies, tabes, lippitudines, dyarrheæ, dissenteriæ, contracturæ, colicæ affectiones, suffusiones & morbi* omnes ex mucilaginibus lapidescentibus, lutosis ac bolaribus (posteaquam finita germinatione coagulationis consilia inierunt) *ab hæreditariorum morborum classe eximiuntur. Quamvis ex his plurimi, assiduitate, impressionum frequentia, potestate, confluentiam opportunam in corporibus nacti, in hæreditarios tandem degenerent.* Nunc verò, si tales impuritates plurimum inter se differunt: si signaturas diversas proferunt easque stabiles, *neque ex iisdem Tincturis pleuritis producitur, ex quibus colica, ne-*

chydropes, *dysenteriæ signaturas referunt*: *nec febres*, *calculi*: *si locorum*, *temporum*, *alimentorum*, *certi sunt affectus*: *utique seminibus non destituentur morbi*: sed radices habebunt, Scientias & Anatomiam in Naturæ officina: In vanum laborant, qui tales Anatomias seorsim inquirunt, tanquam certa quædam essent morborum Individua, alia verò sanitatis. Quamvis enim in nonnullis speciebus morborum signaturæ evidentius appareant, ut in arsenico, antimonio, sulphure, mercurio, ærugine, tartaro, napello, urtica, opio, cicuta, mandagrora, quemadmodum antea diximus, nihilominus in ipsis quoque radices puræ & sanæ existunt. Ita enim ab *arsenico venenum*, *mortem*, *impuritatem auferre possumus*, pura relicta natura Balsami, humanis corporibus salutaris & amici: cujus virtute plurimorum morborum radices, & tutò & subitò tolluntur. *Sulphur levi artificio innoxium redditur*. *Mercurii impuritates profundius admixtæ sunt*: attamen ingeniosa adaptione, ut in cœteris quoque, tolluntur. Rursus quæ sanitatis Anatomiam gerere videntur, ut rosæ, violæ, melissæ, valerianæ, lavendulæ, stœchades, betonicæ, argentum, aurum, &c. non sunt ab impuritatibus omnino expeditæ, sed morborum mortisque radices adjunctas habent, utcunque signaturarum familaritate humanæ naturæ consentire videantur. Aurum, gemmæ, virtute innati Balsami ab impuritatibus admixtis sæpe explicantur, & Individua perfecta evadunt, soli termino subjecta. Quocirca à nobis antea demonstratum fuit, *morborum calamitate & superventu Transplantationem Creaturæ factam esse*, *impuritatem puris radicibus adjunctam*, *eamque fuisse morborum prædestinationem*, *ut in aliis perpetuò funderentur*, *donec fatum expleverint*, *exhaustis abyssis in ævi consumtionem descriptis*. *Ita sunt bona mixta malis*: *neque mel venenata amaritudine destituitur*, *& à sacchari fæculenta impuritate sæpe abhorruimus*. Hanc mixtionem si intellixisset Aristoteles, in Privationum pelago non fuisset submersus: Platonici verò si olfecissent, nequaquam innoxiam Materiam toties immeritò accusassent. Hactenus ostendimus morborum semina in Natura contineri, & Generationum ac Transplantationum stabili circuitu, radicum ac signaturarum prædestinationes custodire, neque seorsim in certis Individuis consistere, sed permixta esse radicibus fructibusque primæ & puræ naturæ. Opportunum nunc fuerit, ex seminum ac parentum diversitate, morborum differentias, & Generationum ac Transplantationum processus semininibus consentaneos explicare. Quia igitur *radicibus & fructibus primorum seminum cohærent morbi*, *eorum familias & distributiones jure optimo imitabuntur* Distinxima.

mus autem antea semina & fructus, ratione Elementorum: secundò, ratione Planetarum. Eodem pacto hîc *morbos distinguemus, in cœlestes, aëreos, aqueos & terrenos: vel in cœlestes & terrestres, ratione superioris ac inferioris globi*: cujus distinctionis comitem & testem antea adduximus Hippocratem. Rursus, *morbi sive cœlestes sive terrestres fuerint, ratione proprietatum & trium Principiorum, alii Saturnini sunt, alii Martiales, alii Joviales, alii Venerei, alii Mercuriales. Et inter Saturninos magna est latitudo*, signaturarum diversis proprietatibus discreta. Neque enim omnes stellæ Saturninæ ejusdem sunt naturæ: neque herbæ omnes Saturninæ vel Mineralia, iisdem proprietatibus trium Principiorum insigniuntur, sed latitudo est, quæ tamen speciei limites non excedit. *Ita hydropis species, quamvis omnes Saturninæ sint: magna tamen signaturarum varietate discernuntur. Ita epilepsiæ, aploplexiæ, paralyses, Mercuriales morbi sunt*, singuli diversa Individuorum sobole conspicui. *Tusses, tabes, peripneumoniæ, asthmata, Joviales morbi. Pleuritides, prunellæ, pestes, febres, Martiales. Dysenteria, gonorrhææ, ulcera*, &c. *Venerei*, eandem analogiam observant. Tales morborum distinctiones non sunt ociosæ. Monent enim proprietates trium Principiorum diligenter inquirendas esse, ex quarum Anatomia signaturarum vel symptomatum, quæ in mordis apparent, radices, fundamenta, causæ & similitudines deprehenduntur: quibus inventis curationum leges non invitæ sequuntur. *Sunt & alia morborum genera, quæ ex seminibus non oriuntur, sed quasi læsiones quædam ex generationibus relinquuntur: ex quibus figurarum & cavitatum morbi plurimi dependent: item morbi novi & antiqui, astrales & minerales*, ac plurimæ distinctiones his similes: quæ omnes, explicata in morborum seminibus Generationum ac Transplantationum mechanica lithurgia, facilè unicuique innotescent. Seminum verò progressiones explicaturi, à terrestribus & inferioris globi, tanquam notioribus rectius inchoabimus. *Itaque semina morborum inferioris globi in alimentis delitescunt, in cibo sc. & potu. Suntque impuritates illæ, de quibus antea diximus, quæ separantur & consuetis viis expelluntur, quousque omnia in corpore rectè administrantur.* Subjiciuntur enim alimenta spiritibus mechanicis humani corporis, & facili obedientia, resolutiones, separationes, expulsiones ac similes dispensationes admittunt. *Quæ enim potentioribus tincturis pollent, neque gubernationi nostrorum Mechanicorum subjiciuntur, legesque præparationum aspernantur, non alimenta, sed medimenta, cibi medicamentosi, interdum venena existunt: quorum usu,* morbi

morbi ſubitò in corpore generantur. Alimenta vero conſentanea, quamvis & ipſa facultates medicamentoſas, morbidas, venenatas, admixtas habeant: nihilominus admixtione benigniorum temperatæ, reſolutæ & ſeparatæ, expelluntur: quemadmodum in facultatum naturalium adminiſtratione expoſuimus. Ubi autem errores contingunt, mediocritate neglecta, vel externarum cauſarum injuriis, functionibus Naturæ vitiatis, ſemina morborum radices agunt in humana Anatomia, & generationes morbidas ſtatis temporibus abſolvunt. Tum verò pro roſis, violis, bethonica, ſtœchade, manna, auro, argento, ſaphyro, ſmaragdo, urtica, lollium, mandragora, cicuta, aron, vitriolum, nitrum, ſulphur, arſenicum, calcedonius, lutum, tartarus, bolus impurus vel lephanteus (ſi ita appellare libet) & ſimiles fructus in corpore naſcuntur. Non quòd talium ſpecierum formæ ac externæ imagines in homine repræſentur. *Semina enim in novas colonias tranſplantata, formas & ſignaturas omnes inſtabiles ac externas amittunt, ſervatis internis, in quibus δυνάμεις & actionum principia latent. Ea enim eſt differentia generationum noſtri corporis, & Elementorum, quòd Microcoſmi procreationes ſint ſpirituales, ſint in forma liquoris, vel reſoluta, cuſtodita tamen interna Anatomia ſaporum, colorum & proprietatum; Elementorum verò ad formas & ſignaturas corporeas procedunt.* Priuſquam autem impuritates ac ſemina morborum, radices in corporibus firmare poſſint, ea adeſſe oportet, quæ ad generationem confluere ſæpe diximus: ſcilicet, ut Tincturas poſſideant, in quibus ſignaturarum morbidarum prædeſtinationes & Scientiæ conſervari poſſunt: ut ſæpè ac frequenter impreſſiones repetant: ut agrum, locum, matricem opportunam inveniant. Opportunitas autem, tum ex debilitate innati Balſami & ſpirituum mechanicorum, tum verò ex proprietate eorundem ſpirituum conſentiente cum ſeminibus morborum, ſpectatur. His confluentibus, morborum ſuccedet generatio. Nam parva illa vitia & quotidiani errores, qui leviores ſunt, ipſa Natura ſuis viribus corrigere ſolet: majora autem, diuturniora & ſæpius occurentia emendare non poteſt: ſed victa, manus dat & hoſpitem admittit peregrinum, cujus radices, mineræ vel fomites, in certa quadam Anatomia corporum recepti, fructuum Tranſplantationes, id eſt, actionum naturalium prævaricationes efficiunt. Quia vero non omnia ſemina omnibus locis æque naſcuntur, ſed conſentanea, conſentaneis: in paluſtribus enim locis non provenit roriſmarinus, ſpica, thymus, polium, &c. neque in ſiccis & æditis, ſalices, parſioariæ, anagallis: ita in corpore humano, confluentiam locorum & ſemi-

num observare oportet. *Sunt enim propria semina tam sanitatis quam morborum, quæ in agro vel Anatomia ventriculi & intestinorum crescunt, differentia ab aliis quæ in hepate, liene, renibus, vesica, sanguine, carnibus, membranis, synovia, cerebro, corde, pulmonibus, &c. foventur. Ex hac seminum & locorum confluentia, morborum gradus, diversitates, symptomatum differentiæ, & alia plurima ad curationem in primis necessaria deprehendi possunt.* Quo magis fatuitates eorum miramur, qui Phantasticos illos humores, Sanguinem, Bilem, Pituitam, Melancholiam, communes morborum causas statuunt, cum tanta sit locorum vel ventriculorum diversitas in humana Anatomia, quæ semina, subtilitate, crassitie, potestate, penetratione, facili vel difficili resolutione, alteratione, aliisque signaturis vehementer differentia continent. Etenim *febres, quæ in ventriculi Anatomia radices sive fomites habent, ex seminibus constant crassioribus, crudis, invalidis, facile resolubilibus, intentionibus medicamentorum respondentes. Quæ verò in Anatomia sanguinis fundantur, & quarum mineræ in carnibus, synovia, in renibus latent, proprietatis Principiorum ostendunt potentiores,* & corpora ad altiores præparationum gradus reducta, in quibus resolutiones, consumtiones ac alterationes omnes, difficiles existunt: in quibus nec cassiæ, mannæ, nec rhabarbari, nec diacatholiconis imperia, quamvis scammoneæ acumen adjungatur, obedientiam inveniunt; sed surdis auribus desideria similium medicamentorum repelluntur, utcunque purgationum insolentia, torminibus, anxietatibus & mille fastidiis immerita intestina in vanum fatigent. Itaque tanta cum sit utilitas in debita explicatione confluentiæ locorum & seminum, exempla quarundam hoc loco adjungemus, ex quibus de aliis ratiocinari licet. Non enim perfectam morborum descriptionem hoc loco pollicemur: sed Ideam & adumbrata vestigia Philosophicæ veritatis. Inprimis *ventriculi Anatomiam* examinabimus. *Semina morborum, quæ in hoc agro plantantur, in impuritatibus consistunt superficialibus, sulphureis, fœtidis, mucilaginosis*: in quibus *duplicia excrementa* commiscentur, *humana* scilicet & *rerum naturalium*. Nisi enim inter se miscerentur, & societate expulsionem, solutionem, separationem, molirentur, actionum naturalium administrationes assiduè interpellarent.

Antea enim diximus, *tartareas mucilagines beneficio alterius cujusdam impuritatis, sulphureæ videlicet expelli. Dicuntur autem excrementa humana, quæ in radice & Balsamo animali ut plurimum reperiuntur, quæ & Mechanicis animalis Balsami subjiciuntur. Rursus, rerum naturalium excrementa ea*

sunt,

ſunt, quæ Vegetabilium & Mineralium Balſamo cohærent. In horum ordine continentur omnes illæ mucilagines, in quibus proprietates ad lapideam prædeſtinationem deſinentes, vel arenoſam vel bolarem, deliteſcunt. Neque mirari debemus tam diverſa excrementa in alimentis contineri, *Nutrimur enim non ſolùm ex animalibus, ſed etiam ex Vegetabilibus & reſolutis Mineralium ſpiritibus:* Itaque ſi Balſamum quærimus, cortices utique & impuritates non effugimus. Si ſinceræ tales impuritates aliis facilioribus non permixtæ occurrerent, ſaporum, odorum, conſiſtentiarum & reliquarum ſignaturarum diſſentanea qualitate, faſtidioſam nauſeam, naturarum inſociabiles proprietates declarantem ſubitò parerent: alimentorum vero Balſamis perfuſæ, admittuntur. Differentiæ harum impuritatum ita inveſtigantur.

Aut enim miſcentur, aut ſeorſim conſiſtunt. Ex permixtis morbi generantur ſulphurei, fætidi, ſalium ſimptomatibus comitati, id eſt, ſiti, calore, linguæ amaritudine, capitis dolore, frigore, horrore: & ſimilibus. *Hi morbi à Græcis igneum nomen, à Germanis frigidam acceperunt.* Quod Elementum, cur Latini *Febrim* nominaverint ignoro. Tales appellationes vulgares ſunt externę & mortuæ. Comitantur enim ſignaturas externas, communes & momentaneas. In Philoſophorum vero ſcholis ab internis proprietatibus, δυνάμενων *á Radicibus ipſis nomina derivare oportet: qua lege Nitroſulphurei dicentur: habent enim radices & ſemina, in quibus Sulphuri impuro, fœtido, & reſoluto permiſcentur mucilagines ac ſpiritus ſalium nitroſi.* Etenim ſi hujus radicis in ventriculi Anatomia exaltatæ, fructus inquirere velimus, omnia ſymptomata quæ febribus ventriculi ſuperveniunt, manifeſta facilitate inveniemus. Digeſtis temporibus adventantibus, dum *germinare incipit Minera, nitroſi ſulphuris, & flores ſuperficiales primùm emittere, frigiditatem inducit, horrores, rigores generat:* Multæ enim ſunt ſpecies nitroſorum ſulphurum proprietatum robore, ſinceritate & exaltatione differentes. Surda eſt altera philoſophia quæ ex acrimonia bilis carnes pungente, in initiis paroxyſmorum febrilium, horrores & rigores accidere profitetur: confluxum & conſpirationem humanæ Anatomiæ negligit: Elementa ignorat. Non enim corporea continuitate, ob dimenſionum penetrationes difficili, ubique opus eſt, ad effectus producendos: ſufficit ſpiritualis præſentia. Satis eſt Elementa communia vitalis Balſami inſtrumenta & domicilia, vaporibus & nitroſis ſpiritibus per omnia penetrantibus, acuta ac valida ſubtilitate, inquinata eſſe. Ita enim frigiditates, horrores, rigores, pandiculationes, oſcitationes, ſomnolentiæ, pulſuum alterationes & ſimiles motiones quotquot fuerint & ſubito & potenter çauſari poſſunt. Neque mirum eſt ex eadem

Tinctura in vitalibus Elementis recepta, eodem tempore tam diversa accidentia suscitari. *Partium differentiæ officiis ac trium Principiorum proprietatibus distinctæ, in causa sunt. Ita cordis Anatomia occupata, pulsus mutantur, spirituum motui destinatorum & musculorum provincia labefactata, invita ministeria peraguntur.* In cerebri Rempublicam hospites admissi, sensibus ligatis, peregrinum inducunt somnum, laboriosa vigilia permixtum. His superficiebus acetosis, frigidis, mercurialibus exhaustis, vapores ac spiritus sequuntur pinguiores, inflammabiles, sulphuris naturam magis referentes: sulphuris dico salium commixtione transplantati: qui & ipsi vitalium Elementorum Anatomias inquinantes, calorem, sitim, capitis dolores, deliria, pulsuum celeritates, frequentias, inquietudines, anxietates, & multas calamitates introducunt: donec exhaustis radicibus, consumtis resolutisque spirituum inimicis Tincturis, & vomitione, alvi excretione, sudore vel insensili transpiratione evacuatis, desideratam quietem Naturæ concedant, recidivarum indubitato metu suspectam. De his sequenti Capite copiosius agemus, & memoriam beneficii repetemus, quòd hoc loco demonstraverint, radicum proprietates ac mechanicas progressiones, fructuum & symptomatum progeniem, debitè declarare. Nunc impuritatum plures differentias adjungemus. *Aliæ impuritates ex seminibus constant, quorum prædestinationes ad coagulationem vergunt: aliæ vero ex seminibus, quorum fructus in fluidam resolutionem desinunt. Ex prioribus oriuntur* erosiones stomachi, etiam gulam infestantes, compressiones & augustiæ, colicæ species, & multi alii morbi, de quibus in libello De Generatione morborum diximus: *ex posterioribus diarrhœæ, lienteriæ, dissoluti morbi his finitimi.* Harum impuritatum species in Mineralibus & Vegetabilibus contineri antea demonstravimus, ubi Corruptionis modos pro Σῆψιν & ἄζαν adduximus: Sic enim in fructibus prope omnibus horariis, in vino turbido & crudo, in cerevisia simili, impuritates hæ mercuriales, ad resolutionem inclinantes præcipuè dominantur: licet & alia adjuncta sit mucilagionosa illa, coagulationi obnoxia. Et quamvis neque ad coagulationem, neque ad resolutionem tendentes impuritates, in forma resoluta vel coagulata conspiciantur in alimentis, propter mixtionem, præparationem & præsentiam multarum rerum; Scientias tamen ac prædestinationes suas inviolatas conservant, modò in Tincturis fundentur solidis & permanentibus: alioquin impressionem non proferent Transplamationis authorem. Ubi verò Tincturas stabiles obtinuerint, si ventriculum invenerint consentaneum, i. e. in quo spiritus mechanici conveniunt, frequensque sit usus talium alimentorum, fluunt cum spiritibus impuritatum, paula-

Paulatim coacervabuntur vaporosæ quædam substantiæ, facultatibus & Tincturis prædita, idque in vitali spirituum Anatomia, ex quibus assiduè tinguntur spiritus, donec imprægnati fructus producere possint seminibus domesticos, fierique recidivæ generationes, si radices relinquantur. Fructibus enim exhaustis & generatione absoluta, sæpe beneficio innati Balsami ad pristinam integritatem reversi spiritus, calamitosa fornicationum præmia in posterum exhorruerunt. Interdum verò radicum prædestinationes, unica fructuum profusione exhauriri non possunt, in quibus, digestis temporibus, recidivas expectare oportet. Quòd si conjugium stabile invenerint impuritatum Tincturæ, cum spiritibus mechanicis ventriculi, mixtione in fœcundam Transplantationem desinente, relicta gubernatione innati Balsami, & propriis officiis neglectis morbidos Transplantationis fructus assidue proferent: *nec ulla Naturæ vel innati Balsami industria tales affectus extirpari possunt, nisi Artis ministerio externus Balsamus interno opem ferat.* Validores enim sunt spiritus Transplantationum authores, quàm innati. *Ita ex morbis transeuntibus fiunt permanentes: ex affectu Rei, fit affectus Naturæ: ex affectu in Diathesi, affectus in habitu.* Morbi enim omnes, qui ex mucilaginibus tartareis & impuritatibus corporeis (cujuscunque naturæ fuerint) imperfectè separatis contingunt, paulatim generantur. Clarioris doctrinæ gratia, *Colicæ generationem* describemus. *Hæc, ex mucilagine tartarea, stypticis, & acetosis spiritibus permixta, hoc pacto producitur.* Primùm, spiritus mechanici ventriculi & intestinorum proprietates habent trium Principiorum, confluentes cum spiritibus prædictæ mucilaginis. Itaque cœteris causis concurrentibus, ex quibus lithurgia facultatum humani corporis impediri solet, ut assumendorum, faciendorum, extrinsecus incidentium præpostero usu: separationes & expulsiones tartarearum fæcum in ventriculo & intestinis detrimentum sentient, consumtisque fæcibus illis sulphureis, momentaneis, stercoribus humanis, vel seorsim evacuatis, mucilaginosa impuritas opportunitatem nacta, radices collocabit, continuitatem & retentionem molientibus spiritibus, tam Rei quàm Naturæ, id est, eorum qui in Anatomia intestinorum naturali vigent, & qui in excremento mucilaginoso sedem habent. Radicibus hisce primùm positis, continua nutricatione (etiamsi errores non tam manifesti in Diæta postmodum contingant) incrementa sument, donec digestis temporibus absolutis, effervescentias vel paroxysmos, generationum comites ostendant. *Oriuntur autem nonnulla semina subito, & paroxysmos, effervescentias vel ebullitiones præcipites proferunt, quamvis longa habeant silentia ac digestionum tempora.* In his proprietates trium Principiorum Martiales,

impe-

impetuosæ, celeres, universim per omnia penetrantes, potentes delitescunt: quales in spirituum fortium præparationibus indies sensibus repræsentantur. *Quædam vero sensim oriuntur, & symptomata præmittunt futurorum morborum signa,* de quibus in multis Aphorismis loquitur Hippocrates, *Lassitudines spontaneæ morbos prænuntiant: Non febricitanti cibi fastidium, oris amaritudo, inquietudo, purgatione opus esse significant:* Si relinquitur sitis, oris amaritudo, vigilia, caros, &c. Continent hujusmodi semina proprietates languidiores, nec tanta celeritate & potestate præditas: sive quia in superficiebus primis impuritatum habitent, nec tanta circulatione & digestione ad superiorum graduum fastigia reducta sint: sive quia spirituum prædestinationes debiliores sortita sunt: neque enim omnia astra potestate Martis insignita sunt: neque mineralia omnia Arsenici ferociam imitantur, & malvas urticis & nappellis sæpe vicinas vidimus: Itaque digestionum & silentii temporibus, quamvis semina hujusmodi in corpore humano fermenententur, foveantur & assidua Generationis consilia ineant, nullis tamen manifestis inditiis deprehenduntur: quia Tincturæ illæ pernitiosæ & symptomatum patres, nondum liberæ suut & sinceræ, sed aliarum mixtione temperatæ, ferociam remittunt: deinde, quia etiamnum non satis axaltatæ sunt, neque ad subtilitatem, potestatis authorem, reductæ. *In Colica vero proprietates trium Principiorum potentes sunt, acutæ, subito penetrantes & vaporosa acciditate continuas partes inficiente.* Resolutiones autem spirituosas, iisdem facultatibus præditas, primis temporibus non emittunt, *ex quibus Contractura tandem proficiscitur.* Nec omnia quæ Tincturarum potestate pollent, vitalia Elementa humanæ Anatomiæ, spiritibus & vaporibus ejusdem naturæ inquinare possunt: alioquin Colicæ omnes, contracturas, spasmos, cordis palpitationes, syncopas, catalepses, confestim adducerent. Quapropter universum corpus non inficiunt hujusmodi morbi, spiritibus ejusdem proprietatis cum radicibus, id est, stypticis, acutis, contrahentibus, dolorosa penetratione affligentibus: sed vicinas solùm partes, & alias, in quibus confluentiam inveniunt. Centrum enim habent, radices & mineras, ex quibus circumfererentias, id est, spirituosos vapores tanquam circulos, ad certam distantiam proferunt, secundum potestatem radicum. *Feruntur autem spiritus illi acuti & contagiosi, potius per intestinorum orbes, quia continuitatem corpoream & consentaneam ibidem animadvertunt. Quod si regiones renum & vesicæ, mucilaginibus tartareis obductæ sint, impressione spirituum & minera Colicæ prodeuntium, ad poroxysmum incitabuntur. Ex iisdem enim impuritatibus, quamvis separationum & exaltationum gradibus differentibus, Colicæ & Nephritides proficiscuntur.* Hinc tantus consensus Colicorum & Nephriticorum dolo-

dolorum. Ad ventriculi quoque Anatomiam sæpe perveniunt impressiones Colicorum pontagiosæ, nauseam, vomitum, & alia ventriculi symptomata excitantes. Et quamvis Elementa corporis vitalia tam potentibus spiritibus, in levioribus affectibus colicis & incipientibus, non inquinentur: peregrinis nihilominus vaporibus ac febriculosis, assiduè agitantur. Interdum quoque in sævioribus Colicis, ubi Tincturarum potestas major est, infectis spiritibus vitalibus, cordis & arteriarum motiones debilitantur, ac palpitationum frequentia, horrendas Syncopes in horas timere jubet. Imbuuntur enim spiritibus motionum authores, pontagiosis & stypticis Tincturis, motui resistentibus. Durabunt vero hujusmodi Colicæ symptomata, donec exhausti sint fructus, quos hac revolutione ad generationem destinarunt radices, recidivisque generationibus, præfinitis temporibus debitum Naturæ absolvent. *Species Colicæ ex differentiis stypticorum spirituum, vitriolatorum, acetosorum & similium desumuntur.* Quemadmodum enim inter se differunt hi spiritus, potestate, sapore, penetratione, mobilitate, & similibus signaturis: ita Colicorum symptomata differre necesse est. *Gradus autem Colicæ, tum ex spirituum potestate, tum verò ex ulteriore circulatione & exaltatione peti debent.* Sunt enim nonnulla corpora, in quibus spirituum pernicies non deprehenditur, quæ si separentur & ad exaltationes vel extremitates (ut loquitur Hippocrates) ducantur, venenatas Tincturas, magno symptomatum Comitatu illico proferunt. Quis mellis dulcedinem nescit? nihilominus in tanta dulcedine latent spiritus illi acutissimi, qui ubi exaltantur & ad extremitates ducuntur, venenatam perniciem repræsentant. Mixtione verò, tam gradus quam species morborum ubique transplantantur. Similes propemodum mucilagines, in quibus tamen spirituum Tincturæ tam potentes non delitescunt, ubi in Anatomia ventriculi matrices, continuitates, loca, &c. invenerint, radicibus & mineris paulatim introductis, adolescunt, ac symptomata tandem proferunt copiosis nominibus insignita, sed planè rusticis & phantasticis. Rustica sunt, *Imbecillitas, Bradypepsia, vitiata concoctio, Cruditas*: Intemperiem genuit Phantasia. Quod igitur nomen à radicum proprietate derivatum, horum symptomatum morbis imponi debet? *Sunt morbi mucilaginum tartarearum, ex spiritibus aluminosis, vitriolatis, cachymialibus sive bolaribus, bituminosis, arenosis, membranosis, &c.* Talia enim sunt semina, quæ etsi in Generationum initiis, ubi in ventriculo radices agunt, spirituali forma resoluta, vaporosa, aliisque permixta recipiuntur: nihilominus Scientias & prædestinationes possident ad tales coagulationes & signaturas tendentes. *Ex horum spirituum ac similium proprietatibus, causæ omnium symptomatum expli-*

explicari debent, quæcunque prædictis ventriculi morbis superveniunt. Inquinatis enim spiritibus mechanicis ventriculi, aluminosis & stypticis Tincturis, ad motiones naturales omnesque alterationes, separationes, resolutiones, digestiones, &c. inepti redduntur. Proinde tarda concoctionum ministeria absolvunt. *Quod si potentiores fuerint spirituum Tincturæ, Cruditatem perfectam pariunt, si peregrinis qualitatibus insignitæ, in nidorosam & dissentaneam naturam alimenta commutabunt:* ructus etiam assiduè producent, salium ac saporum testes: inflationes quoque, gravitates, pigritias, & post cibum somnolentias, digestione excitatis vaporibus tartareis, sulphureis, narcoticis, &c. inediæ intolerantiam, quia alimento exhausto sincerarum Tincturarum ferocia ventriculum fatigat, quæ sumto alimento, mixtione temperatur mitigaturque. *Quod si vomitivas proprietates obtinuerint, nauseas, vomitus, & infinita hujusmodi tormenta suscitabunt. Interdum obtusa spirituum facultate, nec sapore, nec penetratione insigni, prædita sunt horum morborum semina: itaque compressionis & gravitatis sensum producunt.* Tales spirituum proprietates in mucilaginibus Cachymialibus sive Bolaribus frequenter deprehenduntur. *Ubi verò mucilagines, Tincturas spirituum fortiores obtinuerint, ut calcis, vitrioli, tartari, vel aronis, urticæ, persicariæ, orexes, ardores, lacinationes & immanissimos dolores, colicis finitimos proferunt.* Hac lege ex fructibus mucilaginosarum radicum vel impuritatum, in Anatomia ventriculi fundatarum symptomatum omnium causæ explicari debent, quæcunque talibus impuritatibus consentanea & domestica sunt. Idque facilius expediet, quicunque plurimorum spirituum proprietates in mundana Anatomia antea conspexerit. Qui Galenica Principia sequuntur, *in his affectibus intemperiem accusant, vel simplicem, vel cum affluxu materiæ.* Quia in explicatione naturalium facultatum, neglectis seminibus, mechanicis spiritibus & trium Principiorum proprietatibus, phantasticis Elementis & nudis qualitatibus, actionum causas ascripserunt.

Quòd si simplicitate sanitatis decepti, spirituum, seminum, radicum & Principiorum naturam ab Elementis & matricibus discernere non potuissent, atque hac occasione, venia & excusatione digni essent: in morbis certè, ubi omnia ad extremitates ducuntur, & sincera saporum, salium ac proprietatum discrimina tam manifestè repræsentantur, inexcusabiles planè sunt. Ipsi quoque proximas causas actionum, ubique inquirere jubent, & descensum a Generibus ad Individua sine Specierum vel Differentiarum oblivione, gloriosa ostentatione prædicant. Qua igitur pigritia in Intemperiebus cum materia vel sine materia, biliosa, phlegmatica, melancholica, sanguinea substiterunt? ibi

ibi primùm curſu opus fuit. Illa enim Tranſcendentia ſunt, quamvis imaginaria, in reali morborum coordinatione.

Ad Aſtra deſcendere oportuit, ad ſemina cœleſtia, terreſtria, aquatica, aërea: ad ſeminum proprietates & ſpirituum mechanicas lithurgias in Generationum & Tranſplantationum progreſſu. Hîc verò defecerunt Canones & menſuræ, quas ſecum ex ſuperbis Geometricorum Collegiis, ad Medicas contemplationes adduxerant. Dimenſionibus enim, ac mortuis corporum ſignaturis ſolùm conveniunt: ſpiritualibus autem & vitalibus potentiis, actionum Principiis, nulla induſtria adaptari poſſunt. Sed ſæpe diximus, eos Elementa, Mixtiones & Temperamenta non intelligere. Elementa enim matricum & locorum rationem obtinent, & ſeminibus ac ſpiritibus trium Principiorum alimenta ſubminiſtrant. *In ſpiritibus Dona & officia ſeminum vigent: horum beneficio actiones omnes adminiſtrantur, Mixtiones abſolvuntur, Temperamenta, & Individuæ naturæ proprietates conſtituuntur: ex his proficiſcuntur ſapores, colores, & famoſæ illæ qualitates, caliditates, frigiditates, humiditates, ſiccitates; non ex* Elementis.

Continent enim in ſuis Scientiis, theſauris & prædeſtinationibus, Principia vitalia colorum, ſaporum, caloris, frigoris, &c. duritiei, mollitiei, teunitatis, craſſitiei, aſperitatis, levitatis, viſcoſitatis, fluxibilitatis, & omnium ſimilium ſignaturarum, quas ordinatè producunt in Generationum & Tranſplantationum fluxu, idque in ſpiritualibus primùm ſuperficiebus, ad corporeas tamen coagulationes tendentium, diverſimodè tamen. D*urities enim, mollities, aſperitates, levitates, viſcoſitates, ex ſpirituali ſignatura*, qua principio præditæ erant, planè corporeas admittunt. *Colores & ſapores ad tam craſſas coagulationes extremaſque corporum ſuperficies non deſcendunt. Caliditates autem & frigiditates, in ſpiritualibus ſolùm corporibus, prædeſtinationum terminos accceperunt: humiditates, ſiccitates, medio modo ſe habent. In ſeminibus igitur & corporum Principiis deliteſcunt caliditates, frigiditates, humiditates, ſiccitates, quemadmodum colores, ſapores, odores, & reliquæ ſignaturæ, ab iiſdem quoque fontibus proficiſcuntur, à quibus actionum cauſæ procedunt. Tranſplantatis ſeminibus noviſque introductis, tranſplantantur quoque ſignaturæ, colores, ſapores, caliditates, frigiditates, &c.* Ita diſcoloratæ, peregrinis ſaporibus inquinatæ, intemperatæ, ſegnes, ſtupidæ, immobiles redduntur partes, vel diſſentaneis motibus & actionibus contaminantur. Suntque hæc omnia ſymptomata & fructus ſeminum Tranſplantationem cauſantium. Quo igitur privilegio Intemperies morbos nominabimus, diſcolorationes

tiones vero, saporum commutationes, & aliarum signaturarum prævaricationes in symptomatum familiam rejiciemus? Dicent, ex occursu frigidorum alimentisque frigidis, generari Intemperiem, ex Intemperie autem actiones debilitari. Dicam ego, *ex decursu & usu acidorum generari aciditatem, ex aciditate actiones lædi*: & hoc adjungo: *nisi in frigidorum occursu vel usu, adfuerit Chæriomum vel Δύναμεις quædam seminali Tinctura prædita*; *morbum nullo modo relinqui in corpore*: *in acidis, acerbis, amaris, acribus. salsis perpetuo adesse.* Et adhuc arma deponere non vultis? Errorum *occasionem duplicem* reperio. *Primam*, quia non intellexerunt naturam eorum fructuum vel impressionum quas in Capitulo de corporum Principiis dixi magis repræsentare proprietates Elementorum quàm seminum. *Alteram*, quia Generationum & Transplantationum doctrinam sine radicum ac seminum beneficio, nudis qualitatibus absolverunt. Ita enim neglectis Principiorum proprietatibus, actionum proximis causis, qualitatibus & complexionibus omnia asscripserunt, ac Intemmperies adduxerunt cum materia & sine materia: consultius utique fecissent, si mutata rerum vice, materias proposuissent cum Intemperie & sine Intemperie. Materias dico vel radices, seminales Tincturas, quæ interdum in spiritualibus solummodo corporibus magnitudine prope destitutis latent, sine corporeis impuritatum fructibus. Interdum vero copiosas impuritates corporum producunt, sive continenter, sive per circuitus: Sæpe enim diximus, in Naturæ officina ex spiritibus corpora produci, ex invisibilibus visibilia. Neque miror eos in spiritualibus morbis, in quibus impuritates non adsunt, & in iis, qui spirituum Tincturas obtinent non ita potentes vel sinceras, deceptos fuisse. Sed in *Bulimia, lupina ac canina fame, Intemperiem accusasse*; *hoc vero admirationem omnem superat.* Quæ enim *frigiditas tantam ciborum copiam absumere potest*? De caliditatis insaturibili fame & violenta consumtione sæpe apud eosdem legimus. Frigidum ad omnes actiones ineptum fuit, abolitarum & debilitarum, non depravatarum facultatum causa. *Aciditati famelicæ & spiritibus insaturalibus tales affectus asscribere oportet.* Conquerentur plurimi, nos morborum multiplicare numerum, & obscuritatem rebus manifestis inducere. Intemperiem certe rejicimus. *Instrumentorum vitia, & Continuitatis solutionem, inter morbos qui ex seminibus nascuntur, & radices seminales in Natura habent, non referimus.* Plura quoque morborum semina ponimus: neque quatuor qualitatibus ac humoribus, eorumque conjugiis & divortiis contenti sumus: sed alias impuritatum species enumeramus, spirituum proprietatibus comi-

comitatas. Nihilominus Individuas morborum ſpecies, prolixa nominum & ſymptomatum varietate definitas, à multitudinis faſtidio ac infinitatis metu liberamus. Etenim *ardores vel orexes ventriculi*, *colicos dolores inteſtinorum*, *dyſurias*, *ſtrangurias*, *nephitides*, *cephalalgias*, *cephaleas*, *hemicraneas*, *arthritides*, *podagras*, *iſchiaticos dolores*, *genugras*, *chiragras*, *dentium dolores*, *& multos hujuſmodi morbos*, ex doloroſa ſymptomatum vehementia denominatos ad unam eandemque familiam reducentes, *profitemur ex iiſdem ſeminibus & trium Principiorum proprietatibus generari*, *ventriculorum ſolùm ſive agrorum diverſitate diſtingui*. Sic *dyarrhœam*, *gonorrœam*, *catarrhos*, *ſic febres ventriculi*, *hepatis*, *renum*, *ſanguinis*, *ſynoviæ*, *cerebri*, *&c.* ſic *epilepſias ventriculi*, *uteri*, *ſynoviæ*, *ſanguinis*, *viſcerum*, *&c.* ſic *hydropes ventriculi*, *uteri*, *teſtium*, *capitis*, ab Hippocrate etiam animadverſas, *pulmonis quoque & cordis*, *ex quibus aſthmatis & palpitationis mirabiles ſpecies*, *ſic dyſenteriam inteſtinorum*, *ventriculi*, *gulæ*, *renum veſicæ*, *uteri pulmonum*, & ſimiles morbos diverſis plurimiſque nominibus inſignitos, *à multitudine ad unitatem revocamus*: *Radicum & proprietatum ſimilitudinem declaramus*: Curationum communes leges & Indicationes adjungimus, analogiam locorum ac exaltationem ſeminum proprietatumque tam in ſymtomatum conſideratione, quam in remediorum adminiſtratione ubique conſervantes. Hippocratem quoque, ſi hoc aliquid ad laudem facit, teſtem adducimus. Ita enim ſcribit in libro De flatibus: Τῶν νουσέων ἁπασέων ὁ μὲν τρόπος ὁ αὐτὸς, ὁ δὲ τόπος διαφέρει, δοκεῖ μὲν οὖν τὰ νουσήματα οὐδὲν ἀλλήλοισιν ἐοικέναι, διὰ τὴν ἀλλοιότητα καὶ ἀνομοιότα τῶν τόπων, ἔστι δὲ μία τῶν νουσέων ἁπασῶν καὶ ἰδέη καὶ αἰτίη ἡ αὐτή. *Morborum omnium modus idem eſt*, *ſcilicet*, qui ex iiſdem ſeminibus & radicibus proficiſcuntur. Nequaquam enim ſpecificas morborum differentias neglexit Hippocrates; quamvis ad unam communemque Ideam, omnes qui ex ſemine naſcuntur, reduxerit: locorum verò & Anatomiarum diverſitas officiis, proprietatibus ac ſubtilitatibus Mechanicorum ſpirituum diffidens, diſcrimen facit. De his ſatis. Recenſuimus hactenus impuritatum differentias permixtas, reſolutioni & coagulationi deſtinatas. *Præter has aliæ ſunt*, *in quibus ſpecificæ virtutes principatum obtinent*, *ſive coagulatos ſive reſolutos fructus producant*. Ex his generantur vermes, *vomitionis & diarrhœæ* quædam ſpecies, ex laxativis & vomitivis ſpecificis dependentes, inſaniæ, epilepſiæ, &c. *Tales morbi generantur ex ſpecificis Tincturis impuritatum*, quæ ſeminum proprietates univerſales ad certæ cujuſdam ſpeciei procreationem inclinant: eodemque pacto matrices, loca & continuitates inveniunt in Anatomia ventriculi ac inteſtinorum, pro ut

antea explicavimus. *Est & alia impuritas frequens imprimis, quæ nec bolum, nec viscum, nec arenam, nec lapidem constituit, nec planè dissolutos vel coagulatos morbos: sed medium naturæ genus occupat, apostematum, oppilationum, pleuritidis, prunellæ & pestis radix.* Ex hac, puris generatio proficiscitur, & spirituum arsenicalium, antimonalium, sulphureorum, similiumque proprietates continet. Quia verò cum proprietatibus trium principiorum, quæ in Anatomia hepatis vigent, confluentiam habet majorem, generationem Inflammationum in hepate describemus. Ita enim Transplantationum & Generationum mechanici progressus in officina hepatis illustrabuntur. *Seminales radices horum morborum ad matrices perveniunt, non solùm in forma resoluta & liquida, sed in forma vaporosa & spirituali*: confluentiam nactæ in hepatis Anatomia, Tincturas suas introducunt & radices agunt, idque citius ac validius, si Astra habuerint potentibus Tincturis prædita. Quòd si Tincturæ debilioris fuerint, frequentia & assiduitate opus perficiunt, Transplantationemque absolvunt. Jactis radicibus continua nutricatione & fermentatione digesta maturitatum ac separationum tempora expectant; quibus instantibus, spirituum erumpit ebullitio. Tum verò explicantur signaturæ in spiritibus antea delitescentes, colores, sapores, odores, caliditates & corporum consentaneorum constitutiones Neque mirari debemus ex spirituum fervore, tam subito, tantam corporum coagulationem, tam solidam, sæpenumero produci posse. In spiritibus enim spiritualibusque corporibus, potestates omnium naturalium actionum vigent: *spiritus esuriunt, attrahunt, concoquunt, coagulant, quò potentiores fuerint, eò velocius hujusmodi ministeria absolvunt, & à debilioribus partibus, tam vicinis quam remotis, ab universo vitalium Elementorum ambitu, fomenta rapiunt, donec ad maturitatem pervenerint.* Ex nutrimentis assiduè attractis corpora constituunt Principiorum Scientiis consentanea, purulenta, mucosa, sanguinea, cruenta, coagulata, resoluta, graveolentia, rubicunda, nigra, flava, varia, amara, acria, erodentia, aspera, & similibus signaturis insignita. Spiritibus deinde revolutione absoluta evanescentibus, corpora hæc sola relinquuntur vinculis & continuitate destituta, ideoque vitalis Balsami imperio subjecta. Hic (nisi antea symptomatum insolentia vehementer debilitatus, deserta statione mortem expectet) relictam impuritatum sentinam, occulta discussione consumet, aut per vias convenientes paulatim expellet, mitigatis antea qualitatibus peregrinis benigniorum admixtione. Emergentibus hisce seminibus primos vapores producunt febrium signaturis vestitos. Ita enim in superficiebus sulphureorum spirituum, salium Tincturæ

latent, quæ ubi vitalibus Elementis humanæ Anatomiæ permiſcentur, frigitates, horrores & rigores gignunt. Sequuntur reſolutiones & vapores ſulphurei, inflammabiles, ſimilares, Elementa humana iiſdem ſignaturis inquinantes. Hinc pulſuum alterationes, ſitis, cibi faſtidium, vomitus, nauſea, inquietudo, vigiliæ, deliria, tuſſes, ſpirandi difficultates, & multa hujusmodi incommoda ſequuntur. Neque ſemper inflammatione vel pleuritide hepatis, ſiccæ tuſſes animadvertuntur. Sæpe coagulatis vaporoſis ſpirituum Tincturis in Anatomia pulmonum cruentas, ſanioſas & purulentas vidimus.

Eadem poteſtate vomitum æruginoſum & amarum abſolvi profitemur. Vapores enim ac ſpiritualia corpora in quibuſdam locis corporeas coagulationes interdum admittunt. Hæc eſt vera Generatio *Inflammationum, cujus ſpecies ex proprietatibus ſpirituum ſulphureorum peti debent. Arſenicales enim, Bubones conſtituunt & inflammationes peſtilentiales, ſive in cerebro, ſive in pectore, ſive in hepate, ſive in liene, ſive in ſanguine, ſive in glanduloſis ſedibus ponè aures, ſub alis, in inguinibus.*

Auripigmentales, pleuritides conſtituunt, in cerebro, pulmonibus, corde, pectore, hepate, liene, ventriculo, ſanguine, carnibus, &c. Sulphurei, prunellas cerebri, pectoris, ventriculi, hepatis, gulæ, & omnium partium. Permixtis ſpiritibus, tranſplantantur inflammationum vel apoſtematum ſpecies, fiuntque pleuritides ſpuriæ: non quia in muſculis & carnibus, hepate, liene, pulmonibus, tunica coſtas ſuccingente, vel aliis locis, radices collocent: ſed *quia ſpiritus pleuritidum authores peregrinis conjugiis obligantur.* Ita Hippocrates libro De morbis & paſſionibus, varias pleuritidis, peripneumoniæ, icteri & ſimilium morborum ſpecies adduxit, in quibus ſymptomatum varietatem nulla locorum vel humorum clientela explicare poteſt. Galenus longè diverſam inflammationum nativitatem deſcripſit, corporum copia & tumorum magnitudine deceptus, Principia quoque corporea adjunxit. Etenim qui Generationum, Mixtionum & Tranſplantationum leges ignorant, ac ſpirituum poteſtates & viciſſitudines non animadvertunt, *Corpora ex corporibus ſolùm gigni* magno errore affirmant. Itaque poſteaquam nullam aliam materiam in tota corporis Anatomia ad Inflammationum generationem, ſanguine aptiorem invenire potuit, huic cauſam aſſcripſit, & modum generationis Atomiſtica ſubtilitate adjunxit, venas & arterias majores ubi immoderata ſanguinis copia diſtenduntur gravatas, in minores onus deponere, has deinceps in minimas, ex harum oſculis in carnium, muſculorum, membranarum & fibrarum ſubſtantias, poros, vacua ſpacia incumbere: hinc diſtentiones, tumores, dolores & calores accidere, prohibita-

que

que rranſpiratione, putreſcente ſanguine, inflammationem & febrim ſuccedere. In ſanguine certè quemadmodum in hepate, liene, carnibus, cerebro & aliis partibus, radices & ſemina Inflammationum latere poſſunt, digeſtiſque temporibus peractis, ubi generationem moliuntur, in peregrinis Anatomiis fructus proferre ſolent, in carnibus, viſceribus, ſynovia, prope, procul à centris, ratione confluentiæ & continuitatis. Itaque *nappelioſa, titnymaſſola, ſulphurea, arſenicalia, auripigmentalia ſemina, à ſanguine tanquam Elemento reſoluta & ſeparata, in aliorum Elementorum Anatomiis fœtus abſolvunt, eoſque duplices, Coagulatos & Reſolutos. In Coagulatorum familia ſunt Apoſtemata, omneſque morbi, quorum ſemina ad corporeas coagulationes deſtinatos fructus obtinent. Febrium radices Reſolutos fructus proferunt, Coagulationi non obnoxios.* Inſtante ſeparatione paroxyſmus ebullitionis, frigore, horrore & rigore conſpicuus, in ſanguine ſuſcitatur: interdum caliditates, laſſitudines, ſomnolentiæ juxta ſeminum proprietates: *in plurimis certe radicibus, primæ reſolutiones febriles ſunt vel nitroſulphureæ.* Præſente ebullitione ſubitò germina, βλαςήματα Hippocrati dicta, proferuntur, in locis ſcilicet, matricibus, Anatomiis, partibus confluentibus & ad Generationem ac abſolutionem fructuum commoditates adferentibus. Hanc confluentiam *ex partium imbecillitate, vicinitate, ſitu proniore, viarum amplitudine* æſtimare conſueverunt Galenici: quorum ſententia examinanda eſt. *Imbecillitas, aut nomen eſt, aut opus,* ut Hippocratica Methodo procedam. Neque ſufficit quòd ruſticos adducunt de impecillitate conquerentes. Noſtram Philoſophiam jam dudum à ruſticorum cenſuris & ſocietate ſejunximus: cœcutiunt enim ſenſus eorum ad contemplationem earum cauſarum, à quibus actiones humanæ læduntur vel debilitantur, tanquam oculi veſpertilionum ad meridianam lucem. Ineptum igitur eſt illorum opem implorare in morborum demonſtratione & cauſarum declaratione, à quibus actiones debilitantur. Si Intemperiem adjungunt, ſimiliter procedemus, juſtiſſima appellatione Principium aliquod poſtulantes Reale, quod viribus & poteſtate pollet, quod effectus producere poſſit, quod Scientiam habeat, prædeſtinationes & officia, eſſentiam quoque, vitam & proprietates, quarum beneficio conſpirare ac confluere poſſit, actionumque & paſſionum mutua viciſſitudine, Generationum fluxus opportuna nutritione, mixtione augmentationeque moderari. Caliditatis, frigiditatis, humiditatis, ſiccitatis intenſiones & remiſſiones in vanum adducent. Sunt enim umbræ rerum, quemadmodum colores, nec Radices habent, nec poteſtates: ſed à Radicibus, ut reliquæ ſignaturæ omnes profluunt. Seminum proinde naturas & trium

Principiorum domeſticas proprietates adducere neceſſe eſt, ſi confluentiarum & conſpirationum cauſas veras interpretari velimus. Ita enim apparebit, qua occaſione hæc germina hujuſmodi agros petant. Novit equus præſepe ſuum. Sic in corpore humano ſemina omnia unius ejuſdemque Reipublicæ cives, domeſticas tribus & familias, ſive vicinas, ſive remotas, ſive regias & patentes vias, ſive anguſtas obſtruſaſque obtineant, & ſubito & facile inveniunt, fœtuſque ſuos conſanguineis ac domeſticis potius educantes & ad maturitatem perducendos concedunt, quam peregrinis. *Nec eſt quicquam Naturæ ſurſum vel deorſum, circularis cum ſit.* Nos, à circulo deficientes angulos obtinuimus, corporumque ponderibus alligati, motuum terminos faciliores & difficiliores animadvertentes, magna temeritate, inviſibili & incorporeæ naturæ ſimiles paſſiones aſſcribimus. Rectius Hippocrates *Naturæ* divinitatem contemplatus, pronuntiavit, *nullas vias eſſe difficiles. Omnia ſpiritualibus Tincturis Naturæ proximis inſtrumentis patere.* Itaque turgentibus morborum ſeminibus in ſanguine, ſi germina, fomenta, βλαςήματα vel loca trium Principiorum conſentaneis proprietatibus inſignita, in hepate invenerint, ſubitaneo impetu florem præſentis generationis, radicis progeniem hepati tranſmittent, in cujus officina ætatum diſcrimina & prædeſtinationum terminos, ſignaturarum variabili ſorte comitatos, abſolvet. Continet enim hic flos Scientiam radicis ſuæ, & qualitates ac corpora producit inimica, doloroſa & pernicioſa humanæ naturæ. Hinc calores, amaritudines, acrimoniæ, fœtores, inflationes, rubores, vitales pulſus viventium ſpirituum & etiamnum ebullientium indices: ex quibus calamitatibus exeſis & apertis venis, ſi vicinæ & conſpicuæ fuerint, fieri poteſt ut ſanguis profluat ac peregrinas cavitates occupet, ſincerusque, vel tuſſi, vel per urinas, vel per alvum, vomitum, uterum, &c. reddatur. Quod ubi ſit, ob morbi vehementiam & magnitudinem mortem brevi expectare oportet. Inſtabunt Galeniſtæ ægreferentes tantam Scientiam & ſeminum præſentiam in generatione Inflammationum requiri: cauſarumque evidentium & antecedentium, à quibus Inflammationes ſuſcitantur, authoritate freti, obſtinate contendent, *non ex ſeminibus, ſpiritibus, Tincturis, Scientia mechanica & vitali poteſtate præditis, ſed ex ſanguine ſolo putreſcente, Inflammationes omnes produci.* Etenim cauſis præcedentibus quæ copiam ſanguinis generare ſolent; ſi exercitia immoderata, caſus, contuſiones, vel ſimiles mutationes acceſſerint, ex quibus frangi, aperiri vel dilatari ſolent venæ, Inflammationes utique contingere. Dico illis ex tali ſanguinis profuſione Inflammationes veras non generari, *niſi in ſanguine, ſemina pleuritidum, prunellæ, peſtis, antea deliteſcant,* quæ occaſionem opportunitatemque nacta,

ᵭa, ad ebullitiones & paroxyſmos intempeſtivè excitentur. Sanguinem extra venas in peregrinis Anatomiis quacunque de cauſa collectum, corrumpi, reſolvi & diſſipari concedimus: ſymptomata verò hiſce affectionibus ſupervenientia, toto genere ab iis diſcrepant, quæ pleuritidi, peſti & prunellæ perpetuò aſſiſtunt, quouſque ſanguis purus, ſanus & ſyncerus fuerit, peregrinis ſeminibus non infectus. *Quemadmodum vero vulneribus, ulcerum ſymptomata ſæpe ſuperveniunt, quia in ſanguine venarum vulneratarum, carnibus, ſynovia, ligamentis, &c. Semina deliteſcebant cancri, lupi, æſtiomeni, quæ externarum cauſarum injuriis & violentiis, ante digeſta tempora ſuſcitantur & paroxyſmos proferunt: eodem pacto inflammationum generatione, ſemina arſenicalia, antimonialia, ſulphurea, & ſimilia, in ſanguine latitantia, maturitatique vicina, levi occaſione evidentium cauſarum excitata, pleuritides, peſtes & prunellas produxerunt*, cantu, hilaritate, riſu, ſaltu, curſu, percuſſione, vociferatione, immeritam ferentibus culpam. Ita maturis pomis, etiam oves ad arborem accedentes operæpretium faciunt, motionum & decidentiæ authores fiunt abſurda virium perſuaſione, in poſterum deceptæ. Vereor quoque, ne vinum, alimenta, aer, ſomnus injuſtè ſæpe à Medicis accuſentur, & ne corvorum cenſuris, quod dicitur, columbæ vexentur. Hos morbos & ſimiles, compoſitos eſſe dixerunt Galenici. Magna enim eſt fertilitas morborum apud illos, & ſocietas facilis: ubique concurrunt intemperies, obſtructiones, tumores, continui ſolutiones: ſi addidiſſent diſcolorationes, fœtores, ſaporum confuſiones, multitudinis majore miraculo, plebis animos faſcinaſſent. Nos verò in his, morbos appellamus Radices, Radicumque effervescentias & ſpirituum ebullitiones uſque ad ἀκμὴν & conſumtionem eorundem. Materiam verò relictam, ſive paulatim à naturali Mumia humani corporis conſumatur, ſive per vias convenientes evacuetur, ſive in puris generationem tranſeat ulcuſque relinquat, læſiones & Επιγενόμενα dicimus, curationeſque proprias habere fatemur. De Generatione morborum in Anatomia hepatis hæc ſufficiant. Neque enim univerſa quæ de his commodè & utiliter dici poſſent, hoc loco adducere licet, Compendii leges vetant. Quia verò vicinitati adducti, morborum originem attigimus, qui in ſanguine radices & ſemina habent, generatione febrium deſcripta, quæ ex ſanguinis Anatomia procedunt, viam aperiemus ad cognitionem & explicationem fructuum Elementi Aquæ in Microcoſmo. Antea declaravimus Radices febrium in omnium partium Anatomiis contineri poſſe, in ventriculo, inteſtinis, meſenterii venis, hepate, liene, renibus, &c. in ſanguine, carnibus, ſynovia. *Nam in his omnibus locis, Nitroſulphurea Tinctura, in Mumia plantari poteſt. Subtilitatem locorum, Elementorum, Mumiæ & Me-*

chanicorum perpetuo æmulabitur semen. Quemadmodum enim alimenta diversarum partium, subtilitate, crassitie, potestate, penetratione, constantia & similibus signaturis plurimum inter se differunt: ita quoque morborum semina alimentis cohærentia, impuritates scilicet, ab impuritatibus, crassitie, subtilitate, potestate, penetratione differre necesse est. *Neque spiritus mechanici ventriculi, omnia morborum semina ab alimentis separare possunt.* Relinquuntur certè impuritates, quæ spirituali & vaporosa specie unà cum alimentis ad hepatis officinam, sanguinis, carnium, synoviæ, &c. deferuntur: nec solùm impuritates, ad resolutionem tendentes, sed etiam tartareæ mucilagines coagulationi destinatæ: morbosque proferunt in hepate, renibus, vesica, sanguine, carnibus, cerebro, pulmonibus, corde, synovia, planè corporeos, lapillosos, bolares, tophaceos, bituminosos, &c. Neque difficile est horum morborum semina, cum resoluta sint, vaporosa, spiritualia, alimentorum vaporibus permixta, undique penetrare. Longè facilius *febrium rudimenta, quarum impuritates ad tam solidas coagulationes non desinant, distribui possunt.* Quocirca ex diuturno usu alimentorum, in quibus Tincturæ febriles continentur, non in primis illis sulphureis & crudis impuritatibus, ventriculi separatione tollendis, sed in subtilioribus superficiebus, quæ Mechanicos ventriculi subterfugiunt, si hepatis officina superata, in sanguine opportunitates generationi consentaneas invenerint, paulatim Tincturas febriles introducent, & Balsamo sanguinis, in certis quibusdam venis, assidua impressione inquinato transplantatoque, radices seminarias figent, digestis temporibus, fructuum perniciosa resolutione, in generationem prodituras. *Ita ex corruptis leguminibus, carnibus, piscibus, oleribus, frumentis, vino impuritatibus febrilibus inquinato, febres generantur: modo assiduus sit eorum usus*, vel impuritatum Tincturæ potentes, & agrorum confluentia. In his enim alimentis & similibus, continentur impuritates sulphureæ resolutæ, quæ ambigunt quodammodo inter mercuriales & tartareas, immensa specierum varietate: societatemque ac miram Naturæ vicinitatem habent cum radicibus apostematum, pleuritidis scilicet, pestis & prunellæ, in quibus sulphurea resolutio, in purulentam vel saniosam coagulationem desinit: à fungosis, mercurialibus, tartareis, salinis, corrosivorum Tinctura insignitis impuritatibus, manifestè differunt. Quamvis sæpe accidat, ut tempore dierumque numero, mutetur febrilis materia in aliam naturam, unde ἐπιγεννήματα & læsiones febrium, vel secundarii morbi, abscessus videlicet viscerum vel artuum, icteritiæ, hydropes, dependent. Idem evenire solet ob commixtionem trium Principiorum heterogeneam. Digestis temporibus peractis, Radices febrilium impuritatum, in sangui-

ne

ne latentium, effervescunt & paroxysmum subitò proferunt, horrore, frigore, vel rigore sæpissime comitatum, ob causas ante dictas. Symptomata verò omnia longe vehementiora hic conspiciuntur, quàm in febribus ventriculi, intestinorum, mesenterii, & similium partium. Quia semina & Radices Elementi aquæ, Tincturas habent, terrenis potentiores. Colores igitur, sitis, capitis dolores, inquietudines, anxietates, vigiliæ, deliria, pulsuum alterationes, graviores erunt. Ita assidua fructuum resolutione paroxysmum continuabunt, ob similarem trium Principiorum naturam, donec fructuum maturitate absoluta, vaporosa resolutione in sudores dissipentur, vel (si coagulationes crassiores obtinuerint fructus febrilium impuritatum, juxta Scientias & proprietates trium Principiorum) per urinas, per alvum, per abscessus, subito paulatimve evacuentur. Interdum in sanguine menstruosis proprietatibus insignito, & propterea evacuationi destinato, radicibus febrilibus contentis, ubi ad effervescentias pervenerint Critica sanguinis profusione per uterum, per nares, per hæmorrhoides, judicantur. In his, ætates, victus rationes, habitus, consuetudines, menstruosi sanguinis testes assistunt. Hisce Generationibus intellectis, carbunculi, anthracis, erysipelatis, & similium morborum nativitates, ob vicinitatem & naturarum societatem, manifestæ sunt. Multa hic de Putredine dicerem, de corruptionum diversis modis, de febrium differentiis, si operis propositi ratio admitteret, & temporis iniquæ brevitate non premerer: quæ omnia in Commentariis nostris de Febribus, suis temporibus, candidè studiosis communicabuntur, modò veritatis iniquum odium tempestivè deposuerint ii, qui claves Scientiarum in captivitate detinentes, ipsi non ingrediuntur, & intrare volentes, quoad possunt, impediunt. *Relictis nunc impuritatibus febrilibus, alias adjungemus, in quibus salium corrosivorum proprietates vigent, quarum prædestinationes, in ulcerationes, erosiones, & tabidas consumtiones desinunt.* Rarò in visceribus: *in intestinis, renibus, ut vesica, pulmonibus & aliis locis, quæ tartarearum mucilaginum receptacula sunt, interdum confluentiam adipscuntur:* Quia proprietates trium Principiorum, ex quibus viscera constituuntur, bolares, & cachymiales Tincturas referunt, id est, sulphureas, obtusas, sine manifesta præsentia corrosivorum spirituum. In sanguine verò, carnibus & synovia, agros opportunos habent. Balsamus enim, sive Mumia sanguinis, carnium, synoviæ, potentibus vitalibusque salium Tincturis pollet, quæ tamen dulces sunt, consolidativæ, unitatis custodes. Nutriuntur proinde ex vaporosis spirituum Tincturis, in quibus salium vitales proprietates, impuritatibus analogis permixtæ delitescunt. Separantur deinde impuritates salsæ, ab alimentorum puritate,

ritate, & coagulationem, sed resolutam accipientes, ut plurimum per urinas, sæpe per sudores & insensiles transpiraniones expelluntur. Hac naturalium facultatum lithurgia vitiata, ob errores, & assumptorum, faciendorum, forisque incidentium delicta, sive quia ab ortu & hæreditario semine, non omnes obtinuerunt in Balsamo sanguinis, carnium, synoviæ, & similium partium, proprietates, trium principiorum, auri, argenti, buxi, ebeni, hederæ, pyrolæ, saniculæ, clematidis, &c. sed in nonnullis prædictis Balsamus proprietatibus stanni, cupri, martis, fagi, abietis, pini, vitis, aronis, persicariæ, urticæ, &c. signatus est. Hinc debilitates naturæ, Mumiæ, Balsami, dependent ex specierum ordinibus, non ex complexionum gradibus. *Reperiuntur enim ejusdem familiæ cives vel species potentiores & debiliores, secundum Scientias ac potestates trium Principiorum, Radicibus seminibusque cohærentium.* Et, si faciliores posthac esse vultis, armisque Cyclopitis ac rabie deposita, humanius ad palæstram descendere, dicam benignè, *Transplantatione masculum uniuscujusque radicis Hermaphroditicæ robur, in fœmineam mollitiem & patiendi facilitatem degenerare.* Transplantationes verò modum, & specierum rationes, secunda Olympias securius proferet. Sive igitur innata Balsami infirmitate, sive ob errores & inordinatam diætam, in ventriculis, id est, in Mumia sanguinis, carnium, synoviæ, defectus & prævaricationes separationis puri ab impuro, expulsionis & consumptionis contingant, relicta impuritate, salium corrosivorum Scientiis ac prædestinationibus insignita, si frequenter hoc accidat, & potens sit Tinctura seminum corrosivorum, transplantata Mumia sanguinis, carnium vel synoviæ, radices introducent, & continua nutricatione ex similibus impuritatibus fomentis (sæpe ex ipso sanguine & vicinis partibus, ubi progressus validiores fecerint) acceptis digesta generationum tempora magno desiderio expectabunt: quibus instantibus fructus producent radicibus consentaneos, fructuumque educationes domesticis partibus concedent: vel hoc argumento declarantes, carnium, venarum, ligamentorum, ossium naturas, quamvis similares sensuum testimoniis judicentur, proprietatibus nihilominus diversis differre. *Cancri quippe, radices & fructus, salia continent ferruginea, quæ in carnibus, venis, membranis, &c. Martis Anatomiam referentibus hospitia domestica nanciscuntur,* ut in facie, labris, mammis, pectore, utero interdum. *Herpetes, æstiomeni, lupi, &c. radices habent æruginosas, cancris finitimas:* in carnibus musculosis artuum, & pectore, sedes quærunt. *Hydropica ulcera, crurum propria, aluminosas habent radices. Pruritus, scabies, nitrosis, vitriolatis, ac levioribus Tincturarum proprietatibus constant,* locisque omnibus fructus emittunt, vaporoso, sed lento sudore, in quo spirituum fortium Scientiæ & prædestina-
tiones

tiones continentur, carnibus & cuti perniciem allaturæ. *Dolores, calores, formæ, ficcitates, humiditates, ac similia symptomata, ex proprietatibus sonum explicari debent.* Nam corrosiva salia in Anatomia sanguinis & carnium contineri posse, demonstrant separationes Spagyricæ. Et urinam colamentum esse sanguinis, carnium, & synoviæ fatentur omnes: in qua, quot, quantæ, corrosivorum salium species occultantur? Quæ, ubi frustrata separatione & expulsione, quemadmodum antea diximus, in sanguinis vel carnium Anatomia radices fecerint, & longa digestione, corporum conjugia lenta ac tenacia contraxerint, fructus absolvunt stabiles, nulla innati Balsami virtute resolvendos, sed continua augmentatione, vicinarum partium miserabili erosione, longa mortis tempora expectant.

Pruritus, scabies, radices habent leviores, facile resolubiles, nisi leprosæ Tincturæ admixtæ fuerint. Harum procreationum illustria exempla, in Generatione Mineralium & Metallorum, antea proposuimus. In quibusdam enim, fructus stabiles edebantur, ut in Metallis: in aliis momentanei, ut in Thermis & Mineralium resolutionibus. Diversitatis causam, similari naturæ trium Principiorum, vel dissimilari dissentaneorum mixtioni asscribimus, & radicum Scientiis ac prædestinationibus inviolabilibus: sive Generationum alterna revolutione, silentiis interpositis, fructuum dispensationes custodire teneantur: sive continua fructuum successione, thesauros in abyssis suis contentos, desiderata obedientia exhaurire soleant. Similis propemodum est Generatio *podagræ, arthritidis, cephaleæ, hemicraniæ,* χεθμάτων, *dissolutionis articulorum, dolorifica fluxionis, seminum triumque Principiorum servata differentia. Constant enim ex impuritatibus colicis, acutis, quibus Tincturæ salium acerbæ, pontagiosæ, amaræ, salsæ, acres, vel acetosæ, tartariæ, vitriolatæ, nitrosæ, aluminosæ, aronicæ, urticosæ, persicariosæ, &c. delitescunt:* quarum tamen prædestinationes ad ulcerationes non festinant, nisi longa circulatione vel peregrinorum spirituum admixtione, ulcerosas proprietates acquisiverint. Neque consequens est, ut quidquid spirituum acutissima, & summè dolorifica facultate præditum sit, idem continuò ulcerationes conspicuas proferat. *Alia est proprietas, in qua ulcerationum nequitiæ vigent.* Sæpe obtuso sensu ulcerationes absolutas vidimus, & septicorum proprietates non ignoramus. Etsi enim nephriticorum, colicorum, padagricorum tormenta, omnes omnium ulcerum dolores longè superent, & acutissimorum spirituum præsentiam satis confirment: nihilominus arsenicale illud virus, septicum, carnibus pernitiosum, in seminibus prædictorum morborum desideratur. Præterea spirituum fortissimorum potestas,

ob corrosivas calamitates suspecta, copiosa humiditate synoviæ, carnium, & sanguinis impeditur, ac humida resolutione comprehensa, ulcerosas corrosiones negligit. *In acetosis omnibus inimicitiæ ulcerum vigent, acetosaque carnibus, membranis, ossibus, nudis partibus, hostilia sunt*: ipsa tamen ulcerum producendorum facultates non habent. Introducuntur in Anatomiam humanam hæc semina, utplurimum hæreditario jure. Vitalia enim Principia corporis Balsamum, seminale Principium, & Radicem Naturæ obsident. Proinde Generationum exordiis, effervescentias communes nacta, una cum Principiis humanis propagantur, & destinatis temporibus adolescunt. Sæpenumero assumenda, facienda, foris incidentia, illegitime usurpata, Transplantationis authores fuerunt, & sanguinem, carnem, synoviam, peregrinis impuritatibus assiduè inquinaverunt radicibus Tincturarum acutissimarum & dolorificarum. Digesta generationum tempora his radicibus, ut cœteris omnibus, certa sunt. *Quædam anniversarias habent ebulutiones: nonnullæ menstruas.* Sunt & aliæ, quæ Lunæ, ventis, pluviis, certis syderibus, & externorum Ascendentium impressionibus obligantur, paroxysmosque proferunt confœderatos, præter innatam temporum prædestinationem: de quibus divina illa Astrologia Hippocratis loquitur, in libro De humoribus, ubi dicit: ἐκ τῶν πρώτων ὑδάτων, ὅταν ἐξ ἀνυδρίης πολλῆς μέλλῃ ὕδωρ ἔσεσθαι, ἔστι περὶ ὑδρώπων προειπεῖν καὶ ὁκόταν τ' ἄλλα σμικρὰ σημεῖα φανῇ ἐν νηνεμίῃ, ἐν μεταβολῇ. *Ex prioribus* (inquit) *aquis, sive pluviis, tempestatibus, ventis, siccitatibus, astrorum ortibus, & occasibus, eorumque confœderationibus & confluentiis cum morbis, si quis diligenter observaverit morborum mutationes, exacerbationes in tempestatibus, pluviis, pleniluniis, &c.* contingentes, in posterum ex hydropicorum, podagricorum & similium ægrotorum accidentibus, prædicere poterit, quando in longis serenitatibus, pluviæ venturæ sint. Astra enim hydropis, podagræ, melancholiæ, carbunculi, febris, &c. quæ sociabili naturarum proprietate cum cœlestibus, aereis, terrenis, & aqueis syderibus conspirant, effervescentias genialium, domesticorum, & decretoriorum syderum longè antea percipiunt, priusquam manifestis resolutionibus & fructuum dispensationibus omnia repleverint. Eadem ratione, aves & animalia nonulla tempestatum instantes mutationes nunciant: Majorem enim societatem, & trium Principiorum proprietates magis conspirantes cum mundanis astris habent, quàm homines, qui adulterinis morborum seminibus non sunt inquinati. Parva quoque signa negligere non oportet, sive quieto temporum statu, sive in mutationibus contingant. Insolentes enim mutationes, morborum externorumque

rūmque aſtrorum fœdera etiam ruſticis oſtendunt. In parvis vero conſonantiam deprehendere, utile & artificoſum eſt. Ita enim pericula, quæ in gravioribus mutationibus temporum ſuſpecta ſunt, vitari poſſunt, Συνακτέον οὖν ὅσαι μὲν ἐφ' οἷσιν ὕδασιν ἢ ἀνέμοισιν αἱ νοῦσοι ἐπισημαίνουσι. *Colligendas & notandas præcipit morborum & externorum Aſcendentium confluentias*, id eſt, qui hydropes, pluviis inſtantibus, exacerbantur: quæ podagræ, ventorum imminente tempeſtate, ad paroxyſmos inopinato excitentur. *Quibus frebiles impuritates in ſanguine deliteſcunt, aſcendentibus aſtris, in quibus fructuum reſolutiones, ſeptentrionales ventos producunt, antequam publicæ ventorum ſignificationes in aere conſpiciantur, efferveſcentias & occultas reſolutiones aſtrorum vel radicum, in ſanguine, carnibus, ſynovia, viſceribus, &c. latentium, animadvertunt, & præſagia ventorum, ſine artis oſtentatione, proferunt.* Rurſus podagrici multi pluviarum ſyderibus obligantur, & Aſtrologi vadunt involuntarii. De his alibi plura dicemus: hoc loco adducta ſunt, ut paroxyſmorum occaſiones in podagricis, arthriticis, hemicranicis, dolorificis fluxionibus vexatis, vel cedmaticis, declararent: paroxyſmorum dico, qui neglectis innatis temporibus, aliorum aſtrorum ſocietate, ad Generationem & fructuum reſolutionem progrediuntur. Itaque excitatis radicibus podagricorum affectuum, ſi in ſanguine ſedes habuerint, efferveſcunt, & ſpirituales ac vaporoſas Tincturas, Principiis radicum conſentaneas, ad loca domeſtica, ſuſpecta (ut loquitur Hippocrates) demittunt: ibi fructus radicum matricis nacti, prædeſtinationum revolutiones, doloroſa ſymptomatum calamitate, abſolvunt. Signaturæ ſymptomatum differentias ſeminum & radicum declarant. *Vehementiores dolores ſunt vitriolatorum, æruginoſorum, tartareorum, quam aluminoſorum & ſalgemmeorum ſpirituum. Salis communis ac nitri ſpiritus acutiſſimi ſunt. Acetoſæ, aluminoſæ, ſtypticæ & berberizatæ Tincturæ, frigiditatis authores ſunt. Tartareæ, æruginoſæ arſenicalium ſpiritibus permixtæ, rubores, caliditates, inflationes & pulſationes adducunt.* Quamvis digeſtione & continua circulatione, narcoticæ & frigidæ Tincturæ, accenſæ, caliditatis adulterinam imaginem ſæpe repræſentent. Antequam verò ad ipſas matrices, à radicibus in ſanguinis Anatomia habitantibus, pervenerint reſolutiones podagricæ, id eſt, ad articulos vel ſynoviam manuum, pedum, obſcura vel manifeſta de ſe documenta in itinere dabunt; ſecundum analogiam poteſtatis ſpirituum & ſynoviæ puritatem, in membris per ſe tranſeunt. Si enim magna fuerit vehementia ſpirituum, & Tincturæ acutiſſimæ in mucilaginoſam coagulationem terminantes, ſi ſynovia crurum, brachiorum (quæ oſſium membranis undique agglutinatur) impuri-

tatibus ejuſdem generis, vel conſentaneis, inquinata ſit, dolorificæ fluxiones in iis locis ſentientur, calamitatem ſuſpectis partibus mox imminentem nuntiantes. Ita enim appellavit Hippocrates lib. De humoribus, partes illas, quæ obnoxiæ ſunt educationibus fructuum podagricorum reſolutorum, quas nos dicimus matrices, quia generis affinitatem habent, cujus miniſterio hoſpitem errantem admittere poſſint, in quibus proprietates trium Principiorum corfluentes cum Tincturis podagricis continentur: ſerius, ocyus, ad ſuſpectas partes pervenient reſolutiones podagricæ, à radicum mineris, prout reſolutorum fructuum coagulationes, craſſitie, tenuitate, lentore, ſubtilitate, penetratione, & ſimilibus ſignaturis, inter ſe diſtinctæ fuerint. Jam tormenta incipient, inflationes, tumores, calores, rubores: durabitque hæc ſymptomatum miſeranda carnificina, donec efferveſcentiæ ſpirituum ceſſaverint. Tunc verò ſoluta Tincturarum ſicca & acuta coagulatione, ſudores, madores, vel inſenſiles tranſpirationes deſideratam quietem reſtituent. Tales ſunt progreſſiones generationum ex radicibus podagricis, in ſanguinis Anatomia fundatis. Interdum aſſidua fructuum diſpenſatione tranſplantata ſynovia, radices ſeminarias concipit, & proprias generationes in poſterum profert: fitque ex affectu per conſenſum, ut loquitur Galenus, affectus per ſe: ex Sympathia, Idiopathia: ex prima radice, ſecunda radix. Nonnunquam à principio, in ſynovia, prima radicum rudimenta inplantantur, non aliter ac in ſanguine. Suntque tales podagræ vehementiſſimæ, quia in Elemento potentiſſimo foventur. Ita Hippocrates nervorum morbos, venarum morbis difficiliores eſſe dicebat, libro de locis in homine: idque ob alimentorum proprietatem & robur: venarum morbos eſſe fluxiles, nervorum verò ſtabiles, remediis inobedientes. Horum morborum origines, ad ſanguinis, bilis, pituitæ, melancholiæ, ſeroſorum humorum defluxiones retulerunt alii, & podagræ differentias, calidas, frigidas, humidas, ſiccas adduxerunt. Ditiores fuiſſent, ſi albas, nigras, virides, cœruleas, rubicundas, lividas addidiſſent: ſalſas verò, acetoſas, pontagioſas, amaras, acutas, vel vitriolatas, tartareas, aluminoſas, nitroſas, berberizatas, acatioſas ſi intellexiſſent, ſanguinem, bilem, pituitam, melancholiam, temperamentaque caliditatis, frigiditatis, ſiccitatis, humiditatis in ævum repudiaſſent. Fernelius facilitatem illam, in reddendis morborum cauſis, ex defluxione bilis, melancholiæ, pituitæ, ſanguinis, ex caliditatis, frigiditatis, humiditatis, ſiccitatis intemperie, peroſus, fluxionum quoque frequentes, ſed inexplicatas accuſationes averſatus, dum arthritidis, podagræ, chiragræ, ac ſimilium affectuum cauſas novas, & fluxionum modos, à prioribus non animadverſos, ad-

ducere

ducere conaretur, in mirabiles errores delapsus, fluxionem Hippocrati non ignotam, neque prioribus Medicis, distinctione Hippocratica reformatam, proposuit: podagrasque universas, frigidas proclamavit, non ex sanguine vel humorum in venis contentorum defluxu, sed ex serosis humoribus, extra calvariam in pericranio congestis, indeque ad articulos defluentibus, proficisci, multis inditiis, sed incertis tamen, demonstrare conatus est. Fortunatus certè hic error ipsi fuit: invisus alioquin fuisset mortalibus, hoc sæculo tam fœcunda nativitate morbi pernitiosissimi proposita. Et veniam hoc quoque nomine meruit. Facili enim curationis spe proposita, ob veras causas à se inventas & explicatas, avidæ Medicorum ægrotorumque expectationi satisfecit. Sed de his alibi. Epilepsiæ, melancholiæ, maniæ, convulsionis, tetani, opisthotoni, emprosthotoni, catalepsis, apoplexiæ, paralysis & similium morborum generationes (quia prædictis vicini sunt, in iisdem agris, vel similibus, ut plurimum fundati) adjungerem, si particulatim singulos morbos describere liceret. At vero, clarioris solummodo doctrinæ gratia, &, ut generationes morborum, qui ex seminibus inferioris globi, ortus sui primordia ducunt, manifestius cognoscerentur, hæc exempla a nobis adducta terminos, constituunt, & origines aliorum morborum, qui ex seminibus ac resolutionibus Elementorum superioris globi procedunt, mox adjungendas suadent. De morbis igitur ex resolutionibus astrorum superioris globi posthac agemus, talique utemur exordio. *Ex iisdem nutrimur, ex quibus sumus*: cujus oraculi explicationem ex superioribus petite. Porrò, *ex iisdem, ex quibus nutrimenta haurimus, morbos, morborumque semina pariter accipimus*. Ostendimus enim morborum radices, in certis Individuis vel speciebus seorsim non consistere, sed inplantatas & permixtas esse puris primisque rerum seminibus. *Nutrimenta vero rerum naturalium, fructus sunt seminum, in quatuor matricibus vel Elementis vigentium*. Semina enim Elementorum, consensus & conspirationis authores sunt, repugnantiæ quoque & dissensionis, mixtionum supervenientium efficientia: seminum resolutione, ac fructuum vicissitudinaria fomentatione, cuncta nutriuntur: *alimentaque omnia, semina sunt, sed impuritatibus permixta*. Proinde, si non solùm ex fructibus Elementorum inferioris globi, id est, ex cibo & potu nutrimur, sed cœlestium aëreorumque seminum resolutiones & fructus magna necessitate continenter expetimus, ut alimentorum, ita morborum quoque semina ex iisdem hauriemus. *Alimenta hæc, quia invisibilia sunt permixta, & plane* (sensuum judicio) *unita, communi appellatione spiritus dicuntur, quos inspirando attrahimus*, Quorum, vel cujus inevitabilem necessitatem, Hip-

Hippocrates, libro de flatibus, ita exposuit: *Spiritus necessitas mortalibus omnibus tanta est, ut quamvis aliis omnibus abstineat homo, neque cibum sumat neque potum, possit tamen dies duos, vel tres & plures ducere: si cui verò spirituum meatus, per quos in corpus ingrediuntur, intercipiantur, momento unius horæ moritur.* Rursus, à cœteris operibus feriantur homines, à spirandi verò functione nulla animalibus requies conceditur. In utero quoque & generationum initiis prima necessitas, & spirituum, occultæ respirationis & pulsuum ministerio attractorum. Quamvis autem invisibile sit hoc alimentum, neque signaturis vel qualitatibus iis præditum, ex quibus discrimina alimentorum inferioris globi constituta sunt, nihilominus consentaneis & propriis signaturis non destituitur. Cibi ac potus differentias, ex saporibus, consistentia, crassitie, tenuitate, lentore, colore, facili & difficili digestione, ac similibus qualitatibus deduximus: spiritus verò, & resolutiones fructuum superioris globi, nec dulces, nec acidæ, nec amaræ, nec austeræ, nec albæ, nec nigræ existunt. Odorum signaturas sæpe admittunt. Crassitiem quoque & turbulentam aeris confusionem sæpe accusamus. Caliditates, frigiditates, humiditates, siccitates in his fructibus & alimentis triumphant, adeo ut ob penetrationem ac impressionum vehementiam Elementorum privilegiis à multis insignitæ fuerint, qui originem & naturam qualitatum non intellexerunt. Perniciosæ vero resolutiones ex effectibus solùm deprehenduntur, ut venenorum nonnullorum facultates, quæ nec gustu, nec odore, nec ullis manifestis qualitatibus, occultatas potestates demonstrant. Recte quoque à multis proditum est, non solùm refrigerationem & alterationem spiritibus ac calori innato, id est, vitali Balsamo, ex hoc alimento suppeditari, sed etiam substantiam, corpus, nutrimentum, consentaneum tamen spiritibus & seminibus superioris globi: Corpora enim omnia, quæ fructibus cœlestibus debentur, spiritualia sunt, in principio semper invisibilia: nonnulla autem visibilium corporum signaturas in progressu ostendunt, & coagulationes admittunt, ut pluviæ, rores, nives. Ex his alimenta rerum naturalium proficiscuntur. At vero fructus cœlestes, ex quibus alimenta animalibus suppeditantur, invisibili corporum specie attrahuntur, & qualitates ac coagulationes corporeas respuunt, quousque ad Anatomiam novam, animalium videlicet, pervenerint. Ibi enim coagulationes & signaturas interdum recipiunt, corporibus visibilibus ac inferioribus proprias: quando scilicet prædestinationes tales attulerint, & consonantiam, prædestinationibus non repugnantem, in animalibus invenerint. Proprietates trium Principiorum, Scientias, & agendi potestates, in corporibus invisibilibus habitare posse, antea demonstra-

monſtravimus: in hac morborum generatione, rationibus conſentit experientia. Diverſi enim affectus, ſymptomata, alterationes, ex diverſorum aſtrorum reſolutionibus, in corpore contingunt; quæ alterationes ſeminum Scientias, & trium Principiorum proprietates demonſtrant. Pigritia, ſomnus, torpor, membrorum reſolutiones, Proprietatibus narcoticis, papaverinis, opiatis, mandragoratis, ſulphureis, vitriolatis, & ſimilibus debentur: non frigiditati vel humiditati, non albedini vel nigredini, non magnitudini vel parvitati, non obliquitati, rectitudini, circulari figurationi, ſed poteſtatibus, vitalibus Principiis, Scientiis, a quibus, ut actiones, ita quoque ſignaturæ, actionum comites, Advocati, & teſtes, caliditates, colores, ſapores, odores, magnitudines, figuræ, durationes, numeri, proficiſcuntur. Si igitur Plejades, Hyades, Piſcium conſtellationes, & ſimiles ſtellæ, ubi fructuum reſolutiones in aêre demiſerint, alimentumque ſpirituum ſignaturis ſuis immutaverint, in corpore humano pigritias, ſomnolentias, diſſolutiones adduxerint, proprietates utique trium Principiorum narcoticas, ſomniferas, papaverinas, mandragoratas, ſulphureas, vitriolatas, & Scientiam papaveris, opii, mandragoræ, lactucæ, ſolani, &c. obtinebunt. Similiter, ſi Bootes, Urſa, Aquarii ſtellæ, fructuum reſolutione immutatis ſpiritibus quos in ſpirando attrahimus, tuſſes, dyſurias, horrores, articulorum dolores, in corporibus produxerint, quis ab iis, acrimoniæ, ſubtilitatis, penetrationum, aciditatis proprietates auferre poterit, & Scientiam berberis, aceti, acatiarum, aluminis, ac ſimilium ſpecierum? Quinetiam Scorpionis, Cancri, & Martiales ſtellæ, ubi morbidis reſolutionibus aêrem inquinaverint, ſi febres, carbunculos, parotides, prunellas, pleuritides produxerint, arſenicalium, auripigmentalium, antimonialium, ſulphureorum ſpirituum proprietates utique obtinebunt, & Scientiam aconitorum, tythymallorum, lathyris.

Nec audiendi ſunt, qui mollibus & delicatis rationibus demonſtrare nituntur, morborum ſemina ex aſtris non derivari. Dico illis, non ſolùm mannas, rores, ſerenitates, zephyros, pluvias, calores, ex cœleſtium ſyderum reſolutionibus ad nos demitti: ſed etiam grandines, pruinas, tempeſtates, nebulas, ignes, ardores, frigiditates extremas. Neque ſolùm proprietates roſarum, violarum, lactucæ, meliſſæ, valerianæ, ſtœchadis, betonicæ, tritici, vini, hordei, auri, argenti, aquarum dulcium, in ſeminibus cœleſtibus continentur: ſed etiam papaveris, mandragoræ, urticæ, aronis, polypodii, ſenæ, ſcammoneæ, colocynthidis, agarici; etiam arſenici, nappelli, antimonii, ſulphuris, mercurii. Tales verò reſolutiones non ſunt frequentes: & ſtellæ, harum authores,

thores, longa digestionum ac silentii tempora habent, nisi magnis Conjunctionibus & Eclypsibus, contra innatas temporum leges, suscitentur. Rursus fœcundæ sunt stellæ, quæ fructus pariunt animalium naturis magis consentaneos, brevioraque & frequentiora plenilunia absolvunt. In his fructibus nullæ insignes spirituum proprietates vigent, sed ad eorum corporum naturam accedunt, quæ diximus Elementorum proprietates potius referre quàm seminum, in Capitulo de corporum Principiis, & Elementorum permixtorum natura. Itaque ad certas classes totam varietatem fructuum superioris globi & alimentorum spiritualium hoc pacto reducemus. Resolutiones cœlestium & aëreorum seminum, aut conditiones nutrimenti sinceras referunt, in quibus nullæ proprietates medicamentosæ vel venenatæ, nec sensu nec effectu deprehenduntur. Tales plurimas & frequentissimas esse diximus, ob salutem animantium, & continent aquarum dulcium, tritici, hordei, lactis, vini proprietates, quibus, tanquam domesticis alimentis, spiritus vitales assiduè reficiunt. Aliæ resolutiones, admixtas habent Tincturas & proprietates medicamentosas, sed leves. In singulis anni temporibus & hæ frequentes existunt: lactucarum, cassiæ, mannæ, vini meracioris, aceti, agrestæ & similium signaturas referentes, ex quibus catarrhi, tusses, horrores, & leviora temporum symptomata proficiscuntur. Nonnullæ verò medicamentosæ planè sunt, in quibus, opii, mandragoræ, cicutæ, solani, scammoneæ, agarici, flammulæ, persicariæ, aronis, vitrioli, aluminis, proprietates ostenduntur, ac morbos pariunt temporum tempestatumque comites, de quibus sæpe loquitur Hippocrates. Postremò *sunt resolutiones syderum, in quibus, venenatæ proprietates arsenici, auripigmenti, sulphuris, doronici, aconitorum, nappelli, manifestis effectuum testimoniis demonstrantur. Hinc Epidemiæ consuetæ, si certas astrorum revolutiones & temporum insitas prædestinationes sequuntur.* De inconsuetis postea in Generatione novorum morborum dicemus. Atque hæ sunt differentiæ & conditiones seminum cœlestium, à quibus morbi proficiscuntur. Generationum & Transplantationum progressus, seminum naturam imitatur. Quemadmodum enim sæpe ostendimus in Generationibus & Transplantationibus inferiorum Elementorum, citius & potentius omnia perfici, si Tincturæ & proprietates radicum validæ sint, si frequenter & continuè adhibeantur, si confluentiam ac locorum familiaritatem invenerint: ita quoque superiorum seminum resolutiones, si validissimis Tincturis præditæ sint, diuque duraverint, si disposita & opportuna corpora invenerint, Transplantationes plurimas & potentissimas subitò absolvent, morbosque Epidemicos proferent: debiliores vero resolutiones,

tiones, proprietatibus languidis comitatæ, nisi frequenter & assiduè contingant, ac confluentiam invenerint, frustra venient, pauciores quoque afficient: quæ mediæ inter has existunt, effectus analogos proferent. *Quia verò semina morborum superioris globi, in resolutionibus spiritualibus ac vitalibus deferuntur, ubi corpora invenerint proprietatibus trium Principiorum vitalibus conspirantia, & hospites admittentia, continuò Tincturas & impressiones introducunt, radicesque seminarias agunt, fructuum resolutione, digestis temporibus prodituras.* Impressiones syderum debiliores, quæ frequentissimæ sunt, & necessarias temporum vicissitudines moderantur, quarum radices, pluvias, ventos, serenitates, calores, frigora, rores, Etesias, halcyonios, zephyros producunt, ubi intemperatæ fuerint & intempestivæ, morborum semina in corporibus introducere possunt: tempestivæ verò & moderatæ earundem resolutiones salubres existunt: haud secus ac alimentorum etiam salubrium, immoderatus vel intempestivus usus, morbos gignit, moderatus verò, sanitatem & vitam tuetur. Hinc fit, ut temporum tempestivis constitutionibus immitatis, morbi consentanei sequantur. Et huc referri debent libri Epidemiorum Hippocratis, in quibus temporum constitutiones primùm describit, & intemperatas ac intempestivas syderum resolutiones: deinde symptomata & morbos subjungit, temporum constitutionibus & Transplantationibus supervenientes. Impressiones vero & fructus cœlestes, non calefactione, humectatione, exiccatione, refrigeratione, morborum causæ fiunt, sed quia proprietates & Tincturas trium Principiorum introducunt sulphureas, mercuriales, aluminosas, acetosas, utricosas, mannæ potestatibus insignitas, lactucosas, papaverinas: vel, si placet, febriles, catarrhosas, podagricas, tabidas, pleuriticas, &c. Caliditates, siccitates, humiditates, frigiditates, tanquam externæ signaturæ concurrunt, & potestatum, proprietatum, ac Tincturarum comites sunt & umbræ. Ita scribit Hippocrates, in Thaso, autumni tempore, circa æquinoctium & sub Pleiades, aquas multas, assiduas, molles, velut in austrinis contigisse; hyemen austrinam, Veri similem, Ver austrinum, frigidum, parvis pluviis conspicuum, æstatem quoque nubilam cum aquarum inopia supervenisse, Etesias, parum, modice, & sparsim spirasse, totamque anni constitutionem austrinam fuisse, & cum siccitatibus, concludit. Ex his signatuturis & qualitatibus temporum, id est, ex austrinis, siccis, tepidis resolutionibus, ratiocinari oportet de proprietatibus & Tincturis seminum, à quibus Transplantationes, & morbi Transplantationum comites, proficiscuntur. Nisi enim semina & proprietates adfuerint, steriles erunt humidi-

tates, auſtri, calores, pluviæ, ſiccitates, & ſignaturæ ſimiles. Auſtrinæ verò radices & ſtellæ proprietates continent ſulphureas, mercuriales lactucoſas, tithymalloſas, vel febriculoſas, catarrhoſas, tabidas: interdum arſenicales, auripigmentales, leviores vel graviores, pleuriticas, parodicas, anginoſas. Itaque tales impreſſiones ſi diuturnæ fuerint, ſeminarias radices in corporibus introducent, citius in iis, in quibus confluentiam & hoſpitalem locorum ſocietatem invenerint, ſerius in aliis: in quibuſdam fruſtra venient, ob poteſtatem innati Balſami, & puritatem peregrini impreſſionibus repugnantem. *Locorum enim vel agrorum diverſitas, in cauſa eſt, quòd non omnes homines, ex temporum conſtitutionibus immutatis, ægrotent:* & quòd inter eos qui ægrotant, morborum ac ſymptomatum diverſitas contingat. Quales igitur morbi conſtitutionem illam auſtrinam inſecuti ſunt, & quas ortuum vel paroxyſmorum occaſiones habuerunt? Ante Ver, inquit, ex priore ſtatu ſub contrario & aqilonio ſiente, paucis ſubortæ ſunt febres ardentes, non mortales, tubercula circa aurem, ſine febre, quæ ad ſuppurationem non pervenerunt, ut ea quæ ex aliis cauſis oboriuntur: ſed ſine inflammatione & dolore obſcure paulatim evanuerunt; plurimis, tuſſes ſiccæ, & voces raucoſæ ex quibus pernicioſæ tabes, multis ſubſecutæ ſunt, qui ad tabem prontores erant. Primùm cauſas demonſtravit, ex quibus latentia morborum ſemina ad effervеſcentias & paroxyſmos ſuſcitantur. Digeſta maturitatum tempora, ſocietates ac conjugia cum aliis aſtris antea attulimus, diximuſque eorum efficientia, morborum ebullitiones contingere. Hic tertiam cauſam adjungit Hippocrates, contrarietatem ſcilicet & Tincturarum repugnantias. Frequenter enim impreſſiones, & proprietates hoſtiles, inimicum quieſcentem à ſomno intempeſtivè excitarunt. Morbos deinde enumerat ſpurios, qui exquiſitas ſignaturas & extremas non referunt. *Nomina enim ac deſcriptiones morborum, iis accommodantur, in quibus exaltata, ſincera, & extrema ſunt omnia accidentia.* Pleuritis dicitur ubi acuta febris cum tuſſi, dolore lateris pungente, ſpirandi difficultate, ſubito invadit. Parotides ſimiliter vel tubercula poſt aures, anginæ, prunellæ & apoſtemata omnia, febres acutas & malignas adjunctas habent, doloreſque vehementes: quod continget, ſi ſemina horum morborum pura, exaltata, extrema, & potentiſſima fuerint, id eſt, arſenicalia, antimonialia, ſulphurea, vitriolata, auripigmentalia, nappelloſa: ſi en locis ſuſpectis confluentiam nacta fuerint. Quod ſi *Tincturæ arſenicales, antimoniales, ſulphureæ, &c. Leviores fuerint, ex ſeminibus non ita potentibus, vel permixtione aliorum mitigatæ & immutatæ, ſi locis peregrinis,* *conſen-*

consentaneas matrices invenerint, pleuritidum signaturæ apparebunt, sed transplantatæ, parotidum signa, sed illegitima. Sic prunella, tabis, febrium hydropis, dysenteria, & reliquorum morborem. Elementorum quoque dissimilia natura, & fructuum diversitates, ex Elementis superioris inferiorisque globi prodeuntium, morborum signaturas variant. Febres enim quæ ex resolutionibus & impuritatibus levioribus fructuum cœlestium generantur, cito solvuntur, mansuetæ sunt, nec crassas coagulationes in corpore admittunt: symptomata quoque levia proferunt, nisi semina febrilia inferiorum Elementorum, cum cœlestibus, conspiraverint. Sic parotides, ex levioribus resolutionibus superiorum Elementorum (medicamentosis, sc. non planè venenatis) dependentes, sine vehementibus doloribus, sine febribus malignis contingunt, ad suppurationem non perveniunt, sed occultè evanescunt. *Sic catarrhi, pleuritides, tabes, eandem analogiam retinent.* Neque hoc pacto morborum gradus intelligi debent, ut morbi omnes ex cœlestibus seminibus orti, gravissimi sint, & supremorum graduum, ex terrestribus verò, leves & primorum graduum producantur. Paria paribus conferri debent, analoga analogis, si veritatem tueri velimus. Ita melissæ cœlestes, potentiores erunt terrenis, urticæ similiter, papavera, &c. *Arsenicum cœleste, vehementia, velocitate, penetratione, Tinctura, aqueum longè superat, & fulminis instar agit, mortalesque omnes momento tolleret, nisi aliorum fructuum resolutione & commixtione pernicies retunderetur.* Atque sic, ratione spirituum proprietatumque spirituales impressiones comitantium, cœlestia terrestribus videntur esse fortiora, & superiorum graduum. Rursus, si duplicatorum corporum perniciem & potestatem consideres, terrestria ac aquea, cœlestia longè superabunt, sed non tam latè serpent, neque tam communes effectus producent. Explicata morborum Generatione, qui ex seminibus & impuritatibns cœlestibus, levioribus, procedunt, facilè intelliguntur procreationes eorum qui ex petentioribus & validissimis resolutionibus constant, ut pestis, pleuritidis, prunellæ, & similium. Tales quoque morbi, ex resolutionibus astrorum universalium inferioris globi, produci possunt, quas diximus, in Cap. de Generatione, vicinitatem habere cum cœlestibus & aëreis. Hujusmodi astra occulta sunt, & tamen mundanas habent prædestinationes, digesta tempora, exaltationes, & fructuum resolutiones, ex quibus novæ Generationes ac Transplantationes contingunt: magnaque officiorum, proprietatum, prædestinationum & signaturarum varietate distincta sunt. Nonnulla perpetuò cum mortalibus negociantur, ex quibus Endemii morbi, consueti & perpetui, dependent:

dent; ex quibus locorum Individuæ proprietates, & ſeminum particularium inclinationes proficiſcuntur. Ex horum enim reſolutionibus, tanquam univerſaliqus, aquarum, leguminum, cerealium, vini, carnium, piſcium, & omnium alimentorum radices inquinantur. Quòd ſi ſuperioris globi reſolutiones conſentaneæ, cum his conſpirent, multiplicabuntur, accelerabuntur, & deteriores reddentur, fientque ex Endemiis Epidemici, & pro natura ſeminum, tempus morborum, vel vernum, vel autumnale, vel hybernum, vel ſolſtitiale obtinebunt. Ita nonnullis locis, perpetuò autumni temporibus vigent tertianæ febres, erraticæ, continuæ, interdum perniciosæ, catarrhi, tuſſes: alibi menſtruorum ſuppreſſiones. Strumoſi morbi & ſimiles, tempora non habent, ſed continenter durant. Sunt & alia aſtra his occultiora, quæ mundana conjugia perpetua aſpernantur, temporum nihilominus prædeſtinationes cuſtodiunt, quibus adventantibus, fructuum efficaci validaque reſolutione, inviſam novitatem rebus inducunt, durabilem vel momentaneam, juxta Tincturarum, Scientiæ, & prædeſtinationis, conditiones. Hinc novorum morborum Generationes dependent. Nec ſolùm in inferiori globo vigent reſolutiones talium aſtrorum, ſed etiam in ſuperiori. Quemadmodum verò viſibilium aſtrorum diſtinctas proprietates, officia, tempora, indies conſpicimus: ita inviſibilium diſtinctiones, prædeſtinationum & reſolutionum varietates, admirari non debemus. Scientiæ, vitæ, poteſtatis, termini, durationis, obedientiæ inſignia, inviſibilia, utpote fontibus viciniora, viſibilibus procul dubio eripient. Sic morborum mortiſque Anatomiæ novæ, in mundanam ſcenam, ſingulis ſeculorum revolutionibus, introducuntur: interdum evanidæ, momentaneæ, ſine Tinctura permanente, ex quibus Tranſplantationes ſteriles apparent, ut peſtis inſuetæ ſpecies, ſubitò accedentes & deſinentes. Iterdum verò Anatomias introducunt ſtabiles, Tranſplantationeſque fœcundas abſolvunt, ut Gallici morbi reſolutiones, lepræ, prunellæ Ungaricæ: quamvis & hæ, tempora & terminos quoque contineant, diuturnos vel breves, ratione Tincturarum & prædeſtinationum. Quia verò tales reſolutiones, Generationes & Tranſplantationes, in hoc differunt à cœteris creaturis, quod non habeant propria Individua, quemadmodum antea dictum eſt, ſed in aliorum Individuorum radicibus recipiuntur: idcirco, quo tempore exaltantur, quæcunque regiones, ætates, & hominum Individuæ naturæ confluentiam majorem attulerint, in iis, hoſpitia quærunt, Tincturas indroducunt, radiceſque ſeminarias, ſtabiles vel momentaneas, ponunt. Sic in caſtris & congregationibus hominum, magnis civitatibus, Epidemiæ ut plurimum germinare incipiunt, quia agros opportunos,

nos, ob intemperantiam, hospites peregrinos assiduè accersentem, inveniunt. Sic nominum opprobria, nationibus, ob paucorum delicta attribuuntur, morbosque Gallicos, sudores Anglicos, prunellas Ungaricas, catarrhos Pedemontanos, multorum injuria sæpæ appellamus. Frustra quoque accusamus Martis conjunctiones, Veneris exaltationes, Solis Eclypses, in horum morborum nativitatibus, quamvis signa sint invisibilium astrorum, & occultas temporum prædestinationes præfigurent. Quinetiam Epidemicorum morborum causæ sæpe existunt, sed consuetorum, ex quibus Seculorum mutationes, & morborum innovationes non dependent. Sed de his alibi. Qui morbi artificum proprii sunt, ut metallicorum fossoribus, Separatoribus, Aurifabris, salium, aluminum, aquarum fortium Præparatoribus, ex Endemiis intelligi debent. Proficiscuntur enim ex resolutionibus spirituum & radicum Mineralium, alimentumque spirituale inquinant, ac morbos producunt, in pulmonibus, articulis, nervis, carnibus, ligamentis, synovia, ventriculo, visceribus, coagulatos vel resolutos, juxta prædestinationem spirituum, à quibus semina acceperunt. Ita contemplationem de Generatione morborum hoc tempore claudemus, collectamque supellectilem conjungentes dicemus:

Morbos ex Seminibus produci, Seminaque & Radices in Natura habere non in certis quibusdam Individuis seorsim, sed aliorum Radicibus adhærere: maledictione divina, primis purisque rerum seminibus supervenisse, scientias, prædestinationes & signaturas scientiis consentaneas accepisse & quia fructibus Elementorum, à quibus alimenta haurimus, conjunguntur impuritates morborum authores, differentias eorundem fructuum imitantes, Elementorum ac Seminum proprietates diversas ostendisse, repudiatis classibus intemperierum, humorum, & obstructionum. Generationes quoque & Transplantationes, consuetas, Perpetuas, insuetas, & novas ut & alia Elementorum Semina, obtinuisse.

CAPUT XIII.

De locis & temporibus morborum cœterisque Signaturis, in Mechanico Generationum progressu supervenientibus.

UT aliæ res universæ quæ ex seminibus nascuntur, ubi mundanam Anatomiam ingrediuntur, distantias & corporum dimensiones admittentes, locis temporibusque confestim obligantur: ita quoque morbi, ex occultis, sæpe invisibilibus seminibus prodeuntes, in corporibus humanis loca consentanea adipiscuntur, secundum analogiam seminum inter se differentia: tempora quoque, continua vel interrrupta, velocia vel tarda, in fructuum resolutionibus & officiorum dispensationibus ostendunt. *Nec solùm temporum & locorum Scientiis ornata sunt semina, sed magnitudinum quoque figurarum, saporum, colorum, caliditatis, frigiditatis, humiditatis, siccitatis, coagulationum, resolutionum, & similium signaturarum facultates vitales efficacesque possident, quibus tanquam vestimentis fœtus suos ornant.* Non omnes signaturæ, in omnium radicum resolutionibus vel fructibus, æquè conspiciuntur, sed ratione Elementorum & seminum, insignis diversitas apparet. Cœlestes enim fructus, saporum & odorum signaturas nesciunt, quæ in terrenis præcipuum locum obtinent: & in ipsis fructibus terrenis, quidam saporum discrimina non ostendunt, in quibus tamen reliquæ signaturæ manifestæ sunt. Rursus *signaturarum beneficio, radices innotescunt, & inter ipsas signaturas, extrema & externa, primas, interiores, & occultiores demonstrant* Loca & tempora morborum ad signaturas referimus, quia significationes & testimonia radicum suarum continent, seminibusque in Generatione progredientibus accidunt. Principia quoque obtinent in Scientiis & prædestinationibus radicum: alioquin fortuitò accederent. Quamvis autem signaturæ sint occultæ, tamen in plurimis morbis existunt, aliarum ministerio inquirendæ. Neque supervacanea est locorum & temporum investigatio. Magnas enim commoditates in administratione remediorum demonstrant, & morborum gradus, curationum facilitates vel difficultates indicant. Loca hic dicimus, *matrices, agros, ventriculos, Elementa, in quibus foveri possunt semina, & continuitatem, retentionis authorem, proprietatum conspirantium beneficio invenire. Itaque quot sunt ventriculi in corpore humano, quot matrices, Elementa proprietatibus seminum insignita:*

toditem

toditem loca morborum constituimus: nec sanguinem nec synoviam excipimus, neque cordis & arteriarum spiritus: sed in omnibus his, ut sanitatis, ita morborum quoque semina contineri posse asserimus. In quibusdam morbis, inquisitio non est difficilis, ut in iis, qui ventriculi, intestinorum, renum, hepatis, mesenterii Anatomias occupant, præsertim si ex mucilagnibus tartareis contingant. *Ardores enim & erosiones stomachi, Orexes PARACELSO dicta, compressiones thoracis, & symptomata his vicina, ut nausea, vomitus, cibi fastidium, ructus, inflationes, pigritiæ, indicant radices morbidas in ventriculi Anatomia contineri.* Colici dolores, hepatis, lienis, mesenterii, compressiones vel obstructiones, renum, vesicæ orexes vel colicæ, id est, dysuria, stranguria, calculus, arena, bolus, &c. dignotiones habent faciles. Mineras enim, in quibus foventur, confestim indicant, quia ex seminibus constant, quorum fructus ad coagulationem destinantur. Tardas quoque generationes obtinent, & immobili ac pigra fructuum præsentia, lentam radicum naturam significant, sive temporis continuitatem in resolutione fructuum custodiant, sive rupta continuitate, paroxysmorum repetitionibus debitum naturæ absolvant. At verò morbi qui ex impuritatibus constant levioribus, molibus, nec ita fixis, quorum fructus ad tam crassas & immobiles coagulationes non desinunt, quorum generatio subitanea est, & impressiones veloces, per omnia penetrantes, etsi in prædictis Anatomiis matrices sæpe habeant, difficultur tamen deprehenduntur. Consensus & sympathia partium difficultatem auget. Ita febres tentianæ, quotidianæ, quartanæ, continuæ, spuriæ, erraticæ, hecticæ, quoque (ignoscite PARACELSO manes Galini) in ventriculo, intestinis, mesenterii venis, hepate, liene, renibus, fomites habere possunt: qui propterea non facile discernuntur, quia in intermittentibus silentii temporibus, ut plurimum nulla partium manifesta symptomata relinquuntur, ex quibus de suspectis Anatomiis conjecturæ rationales desumi possent, Paroxysmorum quoque insultu, subito omnia in consensum trahuntur, quia resolutiones febriles, Elementa vitalia corporis nostri, Tincturis Chærioniis, id est, quæ proprietatibus trinm Principiorum insigniuntur, inficiunt. Deinde si impuritates helleborinæ in ventriculo, colicæ in intestinis, bituminosæ in mesenterio, hepate, liene, tartareæ in renibus contineantur, omnes ex impressionibus & resolutionibus Tincturarum febrilium irritabuntur, & symptomata relinquent post Paroxysmos, in locis innoxiis, id est, in quibus febriles radices non foventur. Hinc nauseæ, cibi fastidia, vemitiones, compressiones ventriculi, hepatis, lienis, dolores colici, dorsi, renum, in febribus apparent, & sæpe in paroxysmorum silentiis relinquuntur, quamvis

quamvis in aliis sedibus radices febrium delitescant, suspectamque facilitatem horum Aphorismorum in mineris morborum inquirendis arguunt: *Ubi dolor, ibi morbus: Ubi tumor, ibi morbus, &c.* Neque circuituum signaturæ difficultatum expediunt. *A veritate alienum est, tertianas omnes in hepate, quotidianas in ventriculo, quartanas in liene, fomites obtinere.* Excrementa quoque (nisi artificiosa separatione ad incudem revocentur, idque non semper) dubitationem inexplicatam relinquunt. Scio interdum in his morbis, usque adeo manifesta, perpetua, & certa esse matricum, locorum vel minerarum signa, ut plebeios etiam non lateant. Et tertianam febrim, quæ in ventriculo radices momentaneas posuerat, vidi ego aliquoties per vomitum rejectam, in forma viscosæ & viridis mucilaginis, nitrosa ac sulphurea amaritudine ægrotum fatigantis. Quæ mucilago posteaquam rejecta erat, etiamnum vitalia motus vestigia, febrili horrore aliquantis per demonstravit, magna astantium admiratione, quam auxit ægrotus, inexpectata hilaritate, sanctè affirmans se febrim rejecisse: idque subita virium restitutione & symptomatum propulsatione testabatur. Nos verò stulte veritatem risimus, Galenicis decretis, iis temporibus imbuti, apud quem didiceramus, febrim esse calorem in corde accensum, intemperiem calidam & siccam, quæ per vomitum rejici nullo modo posset. Alios quoque vidmius, in quibus febrium seminaria in ventriculi Anatomia radices altius egerant, nec una vomitione rejici poterant, in quibus manifesta & perpetua testimonia, fomitis vel mineræ in ventriculo fundatæ, aderant. *Quartanæ quoque febris radices, in renum Anatomia legitimis indiciis sæpe deprehenduntur; præcique ubi partes vicinæ, hepar scilicet, lien, mesenterium, ventriculus, ab impuritatibus immunes fuerint.* Anatomiam renum cum dicimus, intelligimus non solùm cavitates & circumscriptam substantiam, sed etiam vicinas partes, carnes, humiditates, aerem quoque & quidquid renibus vicinum est. In his febribus, genuum dissolutiones, lumporum, spinæ colli, capitis dolores, artuum confractiones, urinæ tenuissimæ, planè aquosæ ab initio, in quibus tamen progressu temporis manifesta febrilium impuritatum rudimenta conspiciantur, præsertim si artificiosa separatione examinentur. Ita enim nitrosa & sulphurea salia demonstrabunt, quæ nec in ventriculi, nec lienis, nec hepatis, nec intestinorum Anatomia mineras & matrices obtinere poterant. Certiores verò erimus mineram quartanæ in renibus fundari, si nulla suspectarum partium, ut hepatis, lienis, ventriculi symptomata durabilia & dubia adfuerint. Quòd si paroxysmorum silentiis, renum, lumborum ac spinæ dolores, genuum dissolutiones, urinæ difficultates remanserint, dubitationi exiguus relinquetur locus. Nihilominus

præcipua

præcipua ſigna ex quibus mineræ & fomites morborum deprehenduntur, etiamnum in receſſu cuſtodiuntur, quæ mox opportunius adducentur. *Febres quæ in hepatis regione radices habent, diſcolorationes, ıcteritiæ & cachexiæ comites, oſtendunt.* Obtuſiores quoque ſunt, quia ſpirituum ſalinorum acrimonia & vehementia deſtituuntur: ſiticuloſæ, compreſſionibus vel obſtructionibus dextri hypocondrii conſpicuæ. Si reliquarum partium ſymptomata non repugnaverint, & ante febrim ſuſpecta alioquin etiam leviſſimis occaſionibus fuerit Anatomia hepatis, urinæque teſtimonia addixerint, veras matrices harum febrium nos inveniſſe exiſtimabimus. In febribus lienis ſimilis eſt ratio. Quamvis rarò contingat in una ſolummodo Anatomia, cœteris illæſis & incontaminatis, talium impuritatum radices ſtabiliri. Partes enim in eandem molitionem conſpirantes, communemque impuritatum ſentinam ſeparantes, facillimè compatiuntur. Ubi una radices & hoſpites receperit, deſtructa lithurgia & conſonantia actionum prædeſtinatarum, reliquæ quoque fornicariæ evadunt. Hinc difficultas in minerarum morbidarum exquiſita cognitione, multa radicum conſentanearum ſobole, diverſis in locis iiſdem temporibus germinante. Sic *febres lienis, quartanæ, tertianæ, quotidianæ, rarò conſpiciuntur ſine ſymptomatibus quæ febribus renum ſuperveniunt.* Neque tam exquiſita dignotio ad curationem utilis eſt: ſufficit eas mineras deprehendiſſe, quæ legitimis, puris, perpetuis & indubitatis ſignaturis Anatomias ſuas oſtendunt. Laborioſam, difficilem ac obſcuram minerarum morbidarum inventionem, utili & ſubtili machinatione mox levabimus, ubi diverſitatem locorum oſtenderimus. Non enim eadem ratione radices agunt, loca occupant, Elementis inhærent omnia ſemina. Prædictorum morborum fomites, Elementa, matrices deprehendi poſſunt, & ſenſuum analogiſmis ſæpe repræſentantur. At verò *Aſtralium morborum loca, in quibus impuritatum vel ſeminum Tinctura planè ſpirituales exiſtunt, ſive fructus reſolutioneſque producant ad corporeas coagulationes deſinentes, ſive ſpiritualibus & vaporoſis reſolutionibus evaneſcentes, difficulter inveniuntur,* ut epilepſiæ, melancholiæ, maniæ, peralyſis, apoplexiæ, hydropis, tabis, podagræ, catarrhi, apoſtematum, ulcerum, & febrium quoque nonnullarum. Dicent nonnulli, in podagra, hydrope, cancro, herpete, æſtiomeno, fiſtula, paralyſi, locum eſſe manifeſtum. Nos verò non locum poſtremum vel ultimum inquirimus, ſed fomitem, fontem, Principium, Radicem: non fructuum diverſoria, ſed ſeminum hoſpitia; non ſecundarum radicum agros, ſed primarum. Fatemur nonnullos morbos habere viviradices & fœcundas Tranſplantationes, in quibus fructuum vaporoſæ reſolutiones vitale illud Principium gerunt, quod locis conſentaneis,

ſuſpectis, ejuſdem generis & familiæ receptum, generationum nova conſilia inire poſſit, & hæc loca, locorumque proprietates, meatus, conformationes, ut ſynoviæ, carnium, ligamentorum, venarum, viſcerum, ſtudioſè obſervari volumus. Nihilominus primarum radicum ſedes, Elementa, hoſpitia, inprimis inquirimus. Ita enim curationum leges rectius inſtituimus, & prædictionum poſtulata prudentius diſcernimus. Quia verò de locis ſeminum & corporum quæſtio eſt, explicatione brevi ambiguitatem & obſcuritatem tollemus. Longè enim aliter de loci natura ac proprietatibus ſentimus ac plerique Peripatetici, qui Mathematicas deſcriptiones rebus naturalibus adaptare conantur. Apud nos, *Elementa, matrices, mineræ, loca ſunt rerum, non otioſa, ſed ſuis proprietatibus inſtructa, quæ vitam & alimentum exhibent ſuis locatis, id eſt ſeminibus, ut ea de ſe proferant, quæ in theſauris & penetralibus recondita obſervant.* Pro rerum itaque differentia & conjunctione, diverſitas quoque erit in loco eſſendi. Longè aliter in terra eſſe dicitur truncus carioſus & rancidus, lapis demortuus vitalique ſpiritu deſtitutus, ac arbor radicibus & fibris ſuis terræ infixa, ab ea tanquam matrice, nutrimentum hauriens: & adhuc aliter ſpiritus quidam mineralis in abyſſis terræ deliteſcens ad tempus digeſtum & prædeſtinatum, unde anniverſariæ repullulationes, novarum Generationum & Tranſplantationum origines dependent. Quemadmodum enim inter ſe differunt tria illæ prædicta, ſubtilitate, ſpiritualitate, craſſitie, coagulatione, vita, poteſtate, ita loca & tempora eorum differre neceſſarium eſt. Eodem pacto, in Anatomia Microcoſmi, locorum differentias oſtendunt, lapis in veſica vel renibus coagulatus, mucilago lapidoſa etiamnum ſpiritibus vitalibuſque Tincturis prædita, & ſpiritus tartari vel mineralis: Similiter tophi podagricorum, & mucilagines fluidæ, in quibus adhuc vivunt vigentque ſpiritus Tincturæque ſalium, & ipſum Aſtrum vel Radix prima, quæ in Theſauris vel Abyſſis habitare ſolet. Sic in ulceribus caro demortua vel rancida, ſal corroſivum, viſcidum, dolore, calore, eroſione, & ſimilibus ſignaturis, vitæ præſentiam demonſtrans, & hujus Principium vel Radix in ſanguine, carnibus, vel ſynovia deliteſcens. Sic ſpiritus arſenicales, antimoniales, ſulphurei, vel Tincturæ peſtis, pleuritis, prunellæ, aliter in ſanguine foventur: aliter quoque harum Tincturarum reſolutiones in locis ſuſpectis continentur, id eſt, in vitalibus Elementis corporis humani, in pectore, collo, hepate, adenibus, quouſque ſpirituum vitalium præſentia foveantur: aliter deinde corporeæ & purulentæ coagulationes, poſt ſpirituum conſumtiones in membris relictæ. Poſtrema hæc corpora, mortua, emerita, ſpirituum favore & continuitate deſtituta, facilè tolluntur, & à locis ſuis ſeparantur,

rantur, idque ſectione, uſtione, manuum miniſterio, ſæpe leni purgatione vel mundificatione. Media verò, in quibus ſpirituum conjugia etiamnum vigent, difficilius evelluntur, Principia, Radices, Semina, ab Elementis & matricibus ſuis difficillime. Rurſus loca poſtremorum, quia coagulationem corpoream obtinent, & paſſionibus ac affectibus corporum ſubjiciuntur, facile deprehenduntur: corporeis quoque analogiſmis, ſenſuum miniſterio procedentibus inquiruntur, ut ab affectione læſa, ab excrementis, à doloris ſpecie & ſitu, à tumore, ac aliis accidentibus proprietates morborum conſequentibus. Sic enim deprehenditur, ſpiritus arſenicales diverſoria inveniſſe in regione pectoris, muſculorum, membranarum, arteriarum, nervorum, venarum, carnium, aeris, & oſſium intercoſtalium, ex tuſſi, dolore lateris pungente, ſputo cruento & purulento. In regione hepatis, ex prædictis inditiis in dextro hypocondrio apparentibus, ex alvi excrementis, & doloris ſpecie. Podagræ, cancri, cephaleæ loca ultima ipſi ægroti magna anxietate oſtendunt. Sed in omnibus morbis hæc generationum continuatio & ſeries non deprehenditur. In melancholia enim, epilepſia, mania, non fit generatio ſubſtantiæ planè corporeæ fæcunda, vel permanentis, & propterea tales morbi longè aliter in locis collocandi & inquirendi ſunt. Sic in generationibus terrenis, aliorumque Elementorum, quædam ſemina in tribus locis conſiſtunt, in Elementorum abyſſis, in Individuis, & in propriè horum corporibus demortuis: quædam verò nullum poſt ſe relinquunt corpus, ſed una cum vitalibus Tincturis & reſolutionibus, tota abeunt in diſſolutionem, ut in meteoris fere omnibus & generationibus ſuperioris globi apparet. Hujuſmodi generationibus aſſimilantur morbi illi aſtrales, epilepſia ſcilicet, melancholia, mania, & apoplexiæ ac febres nonnullæ, in quibus fructuum reſolutiones corpora vitalia vel manifeſta poſt ſe non relinquunt. In his mineræ, & Radicum matrices, difficillimè inveniuntur. *Neque enim ſufficiunt Canones, ſignaturæ & Indices Galeni, quibus utitur in locorum affectorum inquiſitione, & proportionem non habent cum ſeminibus ſeminumque proprietatibus, ex quibus prædicti morbi derivantur.* Etenim in epilepſia, dum locus affectus inquiritur, nec dolores, nec ſitus, nec excrementa, nec tumores apparent. Itaque ex ſola actione læſa, ſcilicet animali concludit Galenus, affirmant Galeniſtæ, in ventriculis cerebri, maximeque in poſterioribus, eſſe fomitem morbi. Miror quòd in corde non collocaverint. Læduntur enim actiones cordis, æquè ac cerebri, & cordi alioquin infenſi videntur, tam multarum & diverſarum febrium inviſa hoſpitia per vim ibi collocantes. Qua animadverſione demonſtrare poſſunt, cerebrum per ſe affici, cor verò per conſenſum?

ſum? De iis enim epilepſiis loquimur, quæ ſubito irruunt, nullarum partium conſpicuis ſymptomatibus præcedentibus, in quibus momento, prærer omnem ægroti expectationem vel ſcientiam, univerſæ facultates miſeranda ſymptomatum clade obruuntur, ubi ventriculi, uteri, manuum, pedum, iniquam communicationem accuſare non licet. In his certe, cordis palpitationes, pulſuum depravationes, ſuffocationes, confeſtim apparent, nec ſequuntur vertigines, Imaginationum, & interiorum ſenſuum obumbrationes, vel convulſionum violentas impulſiones. Sæpe ob cordis anxietatem & ſuffocationis imminentis periculum, vehementes convulſiones manuum, pedum, colli, capitis, diaphragmatis, conſpiciuntur, Imaginatione adhuc illæſa, & dubios eventus timido ſilentio expectante. Tales epilepſiæ, in ſomniis, multis accidunt, levioreſque exiſtunt, ex reſolutionibus aereis profectæ. Vigilantibus quoque eadem ſuperveniſſe ſymptomata animadverti, in quibus non ſolum Imaginatio, ſed viſus quoque & Memoria illæſa permanſit. Quinetiam, ubi epileptici reſtituuntur, morbi decreſcente vehementia, primùm Imaginationis officia in paroxyſmorum inſultibus cuſtodiuntur, vertiginoſa affectione ſenſibus adhuc implicatis, qua paulatim evaneſcente, palpitationes, comprehenſiones & auxietates cordis, ad extremam conſumtionem perſiſtunt, teſtanturque fomitem morbi in capite non delituiſſe, ſed aliunde irrepſiſſe, donec reſoluta Tincturarum & fructuum poteſtate, tam latè progredi ulterius non poſſet.

Scio morborum quorundam ſemina Anatomias habere conſentaneas in corpore, cum quibus, ratione proprietatum trium Principiorum confluunt. Antea quoque declaravimus fructuum reſolutiones ſive ſpirituales permaneant, ſive corporeæ evadant, ad nota & domeſtica diverſoria potius quàm ad peregrina feſtinare: ut *cancroſæ* radices, fructuum ſobolem ad carnes faciei, pectoris, ad mammillas ordinariè tranſmittunt. *Strumoſæ* reſolutiones ad colli Anatomiam pergunt, quia carnes, adenes, venas, humiditates domeſticas ibi inveniunt. *Varicoſæ*, ad tibias: *podagricæ*, ad articulos: *arſenicales, ſulphureæ vel peſtilentes*, *pleuriticæ*, *febriles*, ad cor, pulmones: *papaverinæ, cicutoſæ, vitriolo ſulphureæ, vel epilepticæ, vertiginoſæ, narcoticæ*, ad cerebrum. In quibus omnibus, itinerum exordia latent, termini apparent, fructuum impreſſiones percipiuntur, Radicum mineræ occultæ manent. Nos verò fontes quærimus, unde veniant impreſſiones, ſymptomata, actionum depravationes, non quo vadant, vel ubi ſenſibus ſe patefaciant. Ipſe quoque Galenus, in quibuſdam epilepſijs, melancholiis, & ſimilibus affectionibus, aliarum

rum

rum partium affectarum inditia deprehendit, ut ventriculi, matricis, artuum: proinde duplicem epilepſiam introduxit, per ſe ſcilicet, & per conſenſum. At certè, unus idemque eſt morbus, ab eodem ſemine, radice, principio procedens: fomites verò, matrices, & agri, differentiam faciunt, & ſymptomatum ſignaturas, vehementia, celeritate, frequentia, duratione, ac ſimilibus alterant. Semina enim epileptica debiliore, nec tanta impreſſionum celeritate & poteſtate vigentia, ubi in prædictis locis foventur, dum effervеſcunt, ſenſibili fructuum reſolutione ad cordis & cerebri officinas pergunt, quò poſteaquam pervenerint, ſymptomata epileptica leviora inferunt. Ita afficiebatur puer ille, à cujus pede frigida aura, per tibias, crura, ſpinam, ad cerebri arcem aſcendebat. Cujus auræ fomitem vel radicem, Quintius Galeni Præceptor, mole dicebat exiguam eſſe, ſed poteſtate maximam. Tales epilepticos, nos quoque ſæpenumero conſpeximus, nonnulloſque ad ſanitatem, ſine magno ſudore, revocavimus. Et robuſti cujuſdam ruſtici aureis pollicitationibus olim decepti fuimus. Etenim, poſteaquam artis beneficio, in paroxyſmorum apprehenſionibus, Imaginationis & ſenſuum officia à pernicie vindicata animadvertiſſet, relictamque cordis palpitationem & comprehenſionem ſimili eventu ceſſaturam ſibi perſuaſiſſet, anxia & ſordida excuſatione, magnis pollicitationibus ſatisfecit. Suffocationes quoque uterinæ, hyſtericæ affectiones, convulſiones epilipticæ, ventriculi, inteſtinorum, epilepſiæ, ſæpe manifeſtis inditiis deprehenduntur, niſi ex ſeminibus conſtent potentioribus, quorum reſolutiones fulminis inſtar, momento, vitalia Elementa univerſi corporis occupare ſolent. Talia enim ſemina, ſive in pedum Mumia, ſive in utero vel menſtruo, ſive in ſanguine, ſive in ſynovia, ſive in carnibus, ſive in ventriculo, inteſtinis, corde, cerebro conſiſtant, ex ſenſibilibus analogiſmis deprehendi nullo modo poſſunt. Fruſtra læſarum actionum teſtimonia adducuntur. *Spirituales enim Tinctura, & aſtralia ſemina, non ita locis inhærent, quemadmodum corpora, neque oculis vel manibus diverſoria ſua patefacere volunt.* Relicta igitur corporeorum locorum inani inquiſitione in his morbis, Elementalia quærere oportet, in quibus ſpiritus ſpiritualeſq; Tincturæ, ſpirituali modo deliteſcunt: non quemadmodum lapis in veſica, mucilagines tartareę in inteſtinis, ventricnlo, hepate, liene: ſed quemadmodum ſpiritus minerales in Elementis. Hoc verò nec oculis nec manibus deprehendi poteſt. Perſpicacioribus oculis, altiori ingenio, ſubtilioribus Inquiſitoribus opus eſt, ſi ſpirituum penetralia deprehendere velimus. Quid igitur reliquum eſt, cujus ope, ductu ſpirituum tam

tam occultæ latebræ investigari possint? *Sunt spiritus, iisdem vel domesticis proprietatibus insigniti: sunt semina, in quibus communes scientiæ & potestates vigent: sunt astra, quæ locorum, temporum, motuum, prædestinationes similes obtinuerunt.* Horum oculis, & certis radiorum applicationibus, nihil occultum esse potest. Si corporum motus stabiles sunt, si gravia deorsum, levia sursum tendunt, spiritibus, Scientiæ ac potestati vicinioribus constantes motiones, & motionum termini infallibiles, utique non deerunt. Si ad cadavera congregantur aquilæ: si ferrum magnete tinctum, Septentrionem monstrat: si ventorum motus certi sunt, neque omnium astrorum resolutiones ex quibus venti prodeunt, ad Austrum vel Septentrionem pergunt, sed destinatas habent vias, notos terminos: si consentanea consentaneis, domestica domesticis, naturali desiderio sese applicant: ductoribus sanè, & inquisitoribus, in morborum occultis mineris inquirendis non destituemur; si tamen Mundanam Anatomiam cum Microcosmi debitè conferrè possimus. In illa enim nuntij deprehenduntur & Parmenones, Veneti, Romani, Mediolanenses, Florentini, Neapolitani, vel capitales, hepatici, cordiales, stomachales, lienares, sanguinales, synoviales; & inter Venetos, alij Augustanorum, alij Antverpiensium, alij Viennensium; sic in corpore humano inter synoviales nuntios, alij epilepticorum, alij podagricorum, alij febrium, alij ulcerum, alij melancholiarum, &c. Nec obscuri sunt nuntij, sed à Natura, domesticis signaturis insigniti, quarum beneficio in tanta rerum multitudine inveniri possint. Itaque ubi de minera, loco, vel fomite epilepsiæ in homine dubitamus, sensuum analogismis relictis, principiò nuncium in Anatomia mundana, vel in Repub. Mineralium, Vegetabilium, & Animalium inquiremus, idque signaturarum & proprietatum ministerio, quæ in tribus Principiis reperiuntur. Tum verò ex familia, præparatione, & exaltatione Inquisitorum vel remediorum, Elementales astralium morborum mineras inveniemus, sive in potentioribus Elementis profundius inhæreant, sive in levioribus superficies solùm occupaverint. Atque hoc pacto, si ex Vegetabilium Internuntiis, crudis, vel præparatis & exaltatis, ex symptomatum remissione & Transplantatione, inventam esse mineram concederimus, dubium non erit, radicem talis epilepsiæ in agris delituisse, quorum Elementa, & Principia Elementis consentanea, invalida existunt: vel si in agris validiorum Elementorum & Principiorum habitaverit, in superficie saltem hæsisse, nec profundas radices egisse. Rursus, si Vegetabilium legationes vanæ fuerint, neque postulatis precibusque eorum inclinentur paroxys-

roxysmi, sed signaturas immutatas prioribus planè similes produxerint, subtilioribus Internuntiis opus est, qui altius penetrare possunt, & diversoria potentiorum Elementorum inquirere, quæsitaque immutare, mitigatis radicibus. Tales ex Mineralium familia peti debent. Nuntios verò præparare, itineri accommodatos, & innoxios reddere, à carceribus & captivitate expedire, hoc opus, hic labor est. Qui hanc provinciam difficultate perterritus recusaverit, frustra morborum loca inquirit. Similiter *in febribus, si mannæ, cassia, diacatholiconi, agarico, rhabarbaro, scammoniatis, & similibus obtemperaverint, argumentum est, earum radices in partibus foveri, quarum Elementa & Principia debilia sunt*, ut in ventriculo, intestinis, mesaraicis, vel superficialiter in potentiorum partium Anatomiis, ut in renibus, sanguine, visceribus, synovia, receptas esse, idque ob Tincturarum debilitatem radicibus & seminibus inhærentium. Quod si talium remediorum impressiones neglexerint, in partibus fovebuntur, quarum Elementa & Principia validiora existunt: vel si debiliorum Anatomias occupaverint, radices profundas posuerunt, & longa circulationis digestione, seminum suorum Tincturas ad exaltationem perduxerunt, superficiebus illis consumtis & relictis, quæ purgationibus vel per alvum vel vomitum tolluntur. Itaque nuntios subtiliores requirunt, non semper ex Mineralium familia desumtos, sæpe ex Vegetabilibus præparatis, exaltatis & ad potentiores gradus deductis. Horum remediorum prædestinationes, urinas, sudores movent, & subtiles consumtiones moliuntur, quibus officiis febrilium radicum occulta diversoria patefaciunt, gradus quoque & exaltationes Tincturarum febrilium. Atque hæc est vera Methodus in investigatione minerarum morbosarum. Est & alia, obscurior tamen ac incertior, quæ ex symptomatum vehementia & remissione dependet. Quemadmodum enim Hippocrates genitale semen ex partibus, in quibus Elementa & Principia totius animalis potentissima vigent, derivari, hoc inditio confirmavit, quia impressiones vehementissimæ effervescentias seminis comitantur, & quia tam pusilla materia evacuata, tantæ sequuntur in toto animali mutationes: ita quoq; vehementissima symptomata testantur morborum mineras in partibus delitescere, quarũ Elementa & principia validissima sunt, nisi astrorum potentes impressiones sequantur, ut in venenis apparet. Diuturnitate, reciduarum frequentia, & evidentium causarum animadversione, hæc distinguere licet. Qui morborum generationes, semina & radices ignorant, longè aliter in locorum inquisitione procedunt. Philosophicis enim Methodis destituti, sensuum mancipia fiunt: morborum notio-

notiones sensibiles, subjectis corporeis inhærentes proponunt: intemperies, obstructiones, tumores, ulcera, & melancholiam cum comitibus adjungunt, causasque morborum Antecedentes & Conjunctas, inde deducunt: tum vero loca affecta rusticè inquirunt, cum in omnibus morbis astralibus, quæ Elementa vitalia potentibus impressionibus tingunt, universa afficiantur, mineras inquirere oportuit, radices, & fontes morborum. Neque per se, & per consensum affici, inquisitionis facilitatem excusare potest. Si enim per se affici dicuntur partes, in quibus fomites morborum fundantur, si tales præcipuè inquirimus, quid Analogismorum prolixis & nudis subtilitatibus, partes compatientes, ac conspiratione mutua condolentes, investigamus, steriles verò signaturas earum partium, in quibus radices latent, adducimus? Non sufficiunt symptomatum antegressiones, perpetuitates, conspirationes, reliquiæ, neque aliarum partium libertates suspectas, morborum servitute obligare possunt. Hinc errores, fatuitates, & miseriæ infinitæ: morborum rationibus confusis, & ob affectionum evidentiam perperam descriptis. Nam quia in febribus cor precipuè affici videbatur caliditatis intemperie, neglectis febrium radicibus, ex quarum vaporosis resolutionibus, non solùm caliditates, sed etiam frigiditates, & universa febrium symptomata procedunt, febrim esse calorem in corde accensum pronuntiaverunt. Si frigiditatem in corde introductam dixissent, Analogismorum conjecturis æquè muniti fuissent. Præcedit enim frigus, & utplurimum gravius affligit, in omnibus intermittentibus, quo superato, vaporibusque natura frigidis accensis, falsa caloris imago repræsentatur. Ita *in omnibus intermittentibus febribus, & plurimis continuis, cor per consensum saltem afficitur, & vaporosis resolutionibus febrilium radicum, alibi mineras habentium.* Dicent Galenistæ, nos causarum & morborum discrimina negligere: se quoque fateri, ex putrescentibus humoribus, in venis, ventriculo, visceribus, purgatione, vel venæ sectione tollendis, frebrilem calorem in corde suscitari: tales verò humores, ad causarum collegia, non ad morborum ordines referri. Præterea, constare nos ex tribus, continentibus, contentis, & impetum facientibus: contentorum vitia vel humorum, ut ipsi exponunt, causas existere: continentium vel solidarum impetus apparere. Qua fronte Hippocratem, Præceptorem salutare audent, tam adulterinam hujus Aphorismi interpretationem adducentes? Qua verecundia decreta ipsius repetunt, quæ libello De flatibus, promulgavit: ubi morbos omnes ἀπὸ θυσλμάτων, *à spiritibus, flatibus, vaporibus, proximè proficisci ostendit:* Febrium quoque exempla adducit,
epilepsiæ,

epilepsiæ, hydropis, & fluxionum, magna observationum ac rationum mole contendens, actionum omnium debilitationes, depravationes, & abolitiones, à spirituum potestatibus, & vitalibus impressionibus proxime proficisci. Itaque si morbos appellant, à quo proximè læduntur actiones, cur in continentibus, vel crassis, & immobilibus corporibus potius quàm in spiritibus, morbos collocaverunt? Sed relictis nominibus, rerum differentias paulisper scrutemur. *Tria enim hæc, Causæ scilicet antecedentes, Morbi, & Symptomata, non differunt genere, essentia, vel proprietatibus specificis, sed potestate vel actu solùm*: quemadmodum Medicus dormiens, à vigilante: sulphur non accensum, ab accenso: sal non resolutum, à resoluto; mercurius non sublimatus, à sublimato: quemadmodum non matura, à maturis: ascendentia, à quiescentibus: exaltata à delitescentibus: astralia vel in actum reducta, à seminalibus, vel in potestate manentibus: quemadmodum semen carnium, à carne differt: salviæ, à salvia: urticæ, ab urtica. Quia igitur talia in corpore continentur, quæ putredine, digestione, separatione, exaltata & in actum reducta, febrilia symptomata perpetuo producere solent, si nomina iis imponenda sunt, unde quæso nominum insignia mutuabimur? Ex Radicibus proculdubio, & proprietatibus innatis, perpetuis, specificis, sive actu nunc appareant, sive in potestate radicum delitescant. Hac lege dicemus in corpore latere radices, semina, impuritates nitrosulphureas vel febriles, quæ digestis temporibus separatæ, exaltatæ, suscitatæ, accensæ, vel in actum reductæ, horrores rigores, frigiditates, somnos narcoticos, calores in corde, pulsuum alterationes, producere possunt. Quòd si tales radices causas antecedentes febrium nominare libet, licet: nihilominus iisdem radicibus progredientibus, ad maturitatem pervenientibus, exaltatis, accensis, morborum appellationes nulla ratione eripiemus, morborumque symptomata, actiones læsas, calores, colores, sapores, ex proprietatibus radicum produci, constanti varietate asseverabimus. Quinetiam radicibus adhuc silentibus, & occultè in corpore latitantibus, morborum insignia concedemus, & paroxysmorum intermissionibus, ubi nullus in corde accensus est calor, nihilominus febrim in corpore latere, rectius quam Antecedentem causam, dicemus: epilepticos quoque epilepsiam in corpore circumferre, quamvis longa habeant paroxysmorum silentia. Manet enim in corpore radix epileptica, vel vitriolum mercuriale, in quo symptomatum signaturæ, vitali potestate continentur. Aut igitur Soriticæ dubitationes, in rebus naturalibus locum habebunt: aut causis Antecedentibus morborum appellationes concedere oportet. Dubitavit quidem Galenus, lib. De locis affectis, quando di-

cenda esset dysenteria: an incipiente exulceratione intestinorum, quæ adhuc non manifestè læderet actiones ægrotantis: an verò postea, ubi virium manifestæ læsiones apparent. Quæ dubitatio ridicula planè est. Progressiones enim Naturæ, continuæ sunt, nec recipiunt Soriticas dubitationes, ut artificum intermissa opera.

Domus namque dum exædificatur, nominum insignia, magnitudine, & certa operis absolutione mutuatur: morborum verò generatio naturalis est, & nomina radicum retinent, nisi continuitatem Naturæ, violenta nominum interpositione, turbare velimus. Hæc de locis morborum dicta sufficiant: de temporibus post hac agemus. *Fundamenta temporum in Donis & Scientiis seminum continentur: ibi termini, horæ, minuta, menses, anni, lustra, secula, longè antea definita sunt.* Et unicuique semini, ut colorum, saporum, figurarum, caliditatis, frigiditatis, duritiei, asperitatis, levitatis, coagulationis, resolutionis, magnitudinis innatæ leges existunt: ita quoque temporum prædestinationes, silentii, ortus, maturitatis, senii, adjunctæ. *Tempus enim non est aliud à progressione & fluxu seminum, ex Orco vel Iliado, in Rempublicam Iovis.* Quocirca semina diversa temporum quoque varietatem ostendunt. In cœlestibus seminibus vel astris, manifesta sunt motuum & maturitatum tempora: de quibus antea diximus, Capite de Generatione. Vegetabilia omnia certis temporibus germinant. Mineralium & metallorum tempora, quia ex radicibus procedunt invisibilibus, paucis comperta sunt, tarditate & raritate difficultatem augente. In his omnibus duplicia tempora observare licet, Digestionum vel maturitatum, & Resolutionum. Differunt enim inter se plurimum: nec omnia quæ tarda habent digestionum tempora, tardas quoque fructuum resolutiones ostendunt. Digestionum tempora in omnibus continua sunt: Resolutionum verò in multis interrupta. Metalla longa habent Digestionum tempora. Seculorum enim terminis Plenilunia describunt, Resolutionum deinde tempora, continua quidem, sed tarda adjungunt. Mineralium Digestiones breviores sunt, Resolutiones verò ut plurimum interruptæ, ut in Thermis, certis anni temporibus effervescentibus, & similibus salium radicibus apparet. Vegetabilia, Digestionum tempora, annua, menstrua, bimestria, trimestria obtinent, Resolutiones deinde continuas vel interruptas, citas vel tardas, demonstrant. Digestionum quippe temporibus, sobolis fœcunditatem, fructuum numerum, Resolutionum repetitiones & durationes decernunt, & consilia ineunt futuræ progressionis: ita prædestinatione accepta, mirabili desiderio ad officia & terminos festinant. In arborum Resolutionibus, continuitas major

jor apparet. Fructus enim omnes, ut pyra, poma, castaneæ, nuces, glandes, simul serò erumpunt, & continuitatem maturationis expectant: rosæ verò, violæ, crocus, coronariæ omnes, interruptas habent Resolutiones, & paroxysmorum repetitiones. Fructus enim vel flores, qui maturitati vicinores sunt, erumpunt posthabita aliorum sorte. Transplantantur etiam tempora tam Digestionum quam Resolutionum. Vegetabilia enim quæ ex semine procedunt, tarda habent Digestionum vel fermentationum tempora, insitione verò accelerantur. Hujus beneficio Plenilunia lustrorum in annua mutantur, & quæ septimo anno (interdum decimo) ex semine, fructuum germinatione, sobolem pollicebantur, si insitione ferantur, consentaneas & hospitales radices nacta, prædestinationes accelerant, festinata mercede diligentiam humanam compensantia. Desiderium quoque totius Naturæ demonstrant celeritate gaudentis, ut prædestinationibus Mundanis absolutis, beatiora receptacula repetere liceat, perpetua quiete ornata. Resolutionum vel germinationum momenta iisdem de causis accelerantur, retardantur, immutantur. Ita cerasorum tempora, in pyrorum mutantur, uvarum maturitates, prunorum comites fiunt. Locorum, radicum, & proprietatum confluentium admixtiones negocium hoc absolvunt. Hæc temporum rudimenta, si ad Anatomiam humanam debitè accommodentur, sanitatis & morborum periodos, paroxysmorum circuitus, silentia, Plenilunia, decrescentias, Crises, & Decretoriorum dierum rationes, magna facilitate demonstrabunt, multisque difficultatibus & obscuritatibus sublatis, à Pythagoricorum numerorum injustis usuris, à melancholiæ & humorum phantasticis commixtionibus, à Mensis medicinalis laboriosa computatione, ab excrementorum Geometricis fluxionibus, & expultricis facultatis ociosa patientia, nos excusabunt. Nec oportet formas ipsas & externas signaturas rerum naturalium, in Mitrocosmi Anatomiam inquirere: sufficiunt proprietates, Scientiæ, Dona, prædestinationes, Tincturæ seminales, vitæ & potestatis custodes. *Vanum est, bovem in homine inquirere, cupressum, fagum, triticum, vitem, aurum, smaragdum: proprietates vero & Tincturas radicales, actionum fontes, uvarum, tritici, hordei, auri, smaragdi, rosarum, violarum, qui quærit, inveniet.* Neque horum solummodo proprietates, sed etiam in quibusdam, vitrioli, sulphuris, nitri, mercurii, arsenici, antimonii, nappelli, urticæ, aronis, opii, mandragoræ, cicutæ, deprehendet. Resoluta verò sunt semina rerum naturalium, & spiritualia, in generationibus ac transmutationibus Microcosmi, & Transplantatione externas illas signaturas figurarum, coagulationum, magnitudinum, amiserunt, intrinsecis servatis, in quibus tempo-

temporum, ſaporum, odorum, colorum, caliditatis, frigiditatis coagulationes, ſed non mundanæ figuræ, ſed non externæ, proprietates conſtantes cuſtodiuntur. Semina igitur morborum quæ ab ortu accepimus, longa habent digeſtionum tempora, ut epilepſiæ, podagræ, lepræ, melancholiæ. Quædam ſeptimo anno ad efferveſcentias perveniunt, quædam decimoquarto, alia vigeſimoſexto, alia trigeſimo oriuntur, & digeſtionum tarditatem, fructuum conſtanti & difficulter diſſolubili progenie reſarciunt. Qui verò morbi in alimentis ſemina habent, ſive inferioris globi, ſive ſuperioris, inſitionum leges imitantur, & digeſta tempora citius abſolvunt, præſertim ſi confluentiam in Anatomia Microcoſmi invenerint. *Locorum quoque vel agrorum diverſitates, tempora digeſtionum variant.* Citius enim fermentantur, & ad effervescentias promoventur, quæ in ventriculi Anatomia inſeruntur morborum ſemina, quam quæ in hepatis, renum, ſynoviæ, ſanguinis & ſimilium partium Elementis recipiuntur: ſervata tamen ſeminum analogia. Citius enim febrilia ſemina in renum Anatomia implantata, ad germinationes venient quam colicæ Tincturæ, in inteſtinis vel ventriculo: & in ventriculo citius tertianarum radices, quam quartanarum, digeſtiones abſolvent. Ita ephemeræ febres, id eſt, aëreæ, velocius aſcendent, fermentatione peracta, quam hecticæ vel igneæ. Sic podagræ ſerius Digeſtionum tempora conficient, quam pleuritides, dyſenteriæ, prunellæ: & inter podagras, aereæ, & terreſtres citius quàm igneæ & aqueæ. Talis analogia in omnibus morbis ſervatur. Quia verò in febribus, tempora Digeſtionum & Reſolutionum manifeſtiſſima ſunt, & circuitus paroxyſmorum conſtantes, conſideratione dignum eſt, qua ratione regionum, ætatuum, ſexuum, alimentorum, conſuetudinum neglecto diſcrimine, quartani, tertiani, & quotidiani circuitus perpetui, & conſtantes, in tanta agrorum & ſeminum diverſitate, cuſtodire poſſint. Principiò cauſæ communium & frequentium morborum occurrunt, ſeminum videlicet copia naſcendi facilitas, locorum opportunitas. Hæc omnia in febribus intermittentibus concurrunt. *Seminia enim & impuritates febriles, ſulphureæ nitroſitates, in omnibus alimentis copioſiſſimæ inveniuntur,* in vino, pane, legumninibus, carnibus, piſcibus, cereviſia, oleribus, Italicis, Hiſpanicis, Germanicis, Anglicis, Arabicis, Aſiaticis, Indicis, & omnium nationum alimentis. Rurſus, in corporibus juvenum, ſenum, mulierum, virorum, Italorum, Danorum, Germanorum, nobilium & ruſticorum, ſeparari debent in horas tales impuritates ab alimentorum puritate. Fruſtrata ſeparatione, ob errores & delicta vivendi frequentiſſima, ſemen relinquitur, loca conſentanea, repetita impreſſionum aſſiduitate conſti-

tuens;

tuens; quibus receptum, digestiones & fermentationes, breves non difficiles, ad exaltationem, fructuum resolutiones, ac effervescentias requirit. Atque sic causas frequentis & communis calamitatis febrium inveniemus. Circuituum verò æqualitas idcirco ubique ostenditur, quia ex proprietatibus specificis, intrinsecis, constantibus, fluunt Individuæ naturæ proprietates mobiles, externæ, & momentaneæ: in corporibus, alimentis, morborum seminibus, actionibus naturalibus, ratione locorum, ætatum, sexuum, consuetudinum, & similium assidue mutantur: internæ vero signaturæ, specierum & Principiorum radicibus cohærentes, permanent. *Neque externis impressionibus transplantatur, nisi interiorum, & potentiorum astrorum Tinctura conspirent, quibus conspirantibus, quia radices febrium intermittentium hermaphroditicæ sunt, æquivocas generationes admittent. Ita tertianæ in quartanas & quotidianas degenerant, & quartanæ rursus in tertianas, erraticæ in quartanas, intermittentes in continuas, & vicissim.* Spuriæ quoque febres ob Transplantationes faciles, frequentissimæ existunt, in quibus circuituum signaturæ immutantur, sive assumendorum, faciendorum & foris incidentium efficientia Transplantationes contingant, sive impuritatum diversarum mixtione, sive ulteriori circulatione & exaltatione primarum radicum. Qua ratione semina morborum delitescant in corpore, & sine sensu, hostem ac mortem sæpe circumferamus, & semina subitò oriantur, quæ sensim, neutrali constitutione præmissa, superiori Capitulo exposuimus. Causas quoque sæpe adduximus, ex quibus transplantantur. Digesta morborum tempora, id est, ex quibus accelerantur vel retardantur. Sic quotidianæ repletiones & commessationes, semina latentia ad messem accelerant, ut calx ad radicem arboris aspersa; sic intempestiva exercitia, venus, animi affectus, ira, timor. Sic athleticum corporis habitum damnavit Hippocrates, quia ex tanta potestate caloris digerentis, alimentorum & exercitiorum robustissimorum assiduo usu excitati, semina gravissimorum morborum (sine quibus non vivitur) ad exaltationes & extremitates calamitosas subito promoventur, quæ alioquin ad tantas potestates non pervenirent, sed vel leviores morbos producerent, vel paulatim à natura devicta propulsarentur. Absolutis Digestis temporibus effervescunt radices morborum, & fructuum Resolutiones instituunt, continuas vel interruptas. Si enim Tincturas seminales efflorescentes, homogenias, æque maturas obtinuerint, continuitatem temporis in resolutionibus fructuum custodient. Tales radices ex impuritatibus constant sulphureis, arsenicalibus, auripigmentalibus, antimonialibus, in quibus salium validæ Tincturæ non sunt admixtæ, vel si admixtæ sunt, in primis saltem superficie-

bus hærent, rigores, horrores, frigiditatesque producentes, donec consumtæ, puras, similares, impermixtas & continuas relinquant sulphurearum radicum Tincturas. Hæc est causa continuitatis febrium ardentium, hecticæ, pleuritidis, prunellæ, pestis & similium morborum. Salia quoque si similarem sulphurum naturam, longa Digestione acceperint, continuitatem Resolutionum æmulantur, ut in ulceribus apparet. Rursus, radices morborum heterogeneæ, Resolutiones interruptas producunt, & paroxysmorum circuitibus fructuum prædestinationes absolvunt. Sed quo pacto observatur certa proportio circuituum, si impuritas, vel *radix, non est homogenea, sed heterogenea?* Dico, *illam heterogeneitatem non esse in specie, sed in gradibus*, non quia radix contineat Tincturas diversarum specierum, sed quia continet Tincturas, efflorescentia fructuum in lucem prodituras, alias maturitati viciniores, alias verò remotiores. Inde fit, ut hodie partes maturæ efflorescant: cras, perendie, vel tertio die, quibus secundæ maturitatis sortes obtigerunt: tertio circuitu, quæ prædestinationes tertias acceperunt, idque continenter, in consumtionem omnium Resolutionum, in revolutione radicis definitarum. Ita nonnullæ radices, quarto circuitu debitum naturæ perficiunt, & in consumtionem, fructibus exhaustis, abeunt: nonnullæ septimo, decimo, decimoquarto, vigesimo, &c. Huc Aphorismus Hippocratis: *Tertianæ exquisitæ quatuordecim circuitibus terminantur*. Quartanæ vero exquisitæ, plures circuitus requirunt, anteaquam in radicum thesauris definitam fructuum sobolem exhaurire possint. Tales Tincturæ vel superficies resolvendæ continuantur in Scientia radicis, & prædestinationes locorum ac temporum ordinatas, certis numerorum proportionibus descriptas, ab initio Digestionis acceperunt. In fermentationibus enim seminum vel radicum, Resolutionum circuitus numerantur, & decreta temporum valida peraguntur, quæ in Scientiis Tincturarum resolvendarum inscribuntur: ita stationes accipiunt ordinatas, primas, secundas, tertias, quintas, &c. quibus instantibus, servata progressionum proportione, & continuitate, emergunt, & destinata officia peragunt. Itaque post primam sobolem Resolutionum, exhaustis primis satellitibus, Tincturis, superficiebus, si secundæ, vicinæ, continuæ superficies vel Tincturæ, vigintiquatuor horis ad maturitatis terminum destinentur, si Elementa & Principia corporum quibus obligantur resolutioni accommodata tanto temporis spacio reddere possint, circuitus quotidianos ostendent, tertianos, quartanos, quintanos, sextanos, menstruos, anniversarios eadem ratione: servabunturque circuituum proportiones, ut qualis fuerit proportio

tio primi ad ſecundum, talis erit ſecundi ad tertium, tertii ad quartum, & ſic deinceps: proprietatibus tamen univerſalium temporum, & motuum naturalium analogiis non neglectis. Ita enim circuitus qui in principiis morborum contingunt, ſi cum iis comparentur, qui in conſiſtentiis vel declinationibus apparent, anticipationum, durationum & declinationum collocationibus plurimum diſtabunt. At verò ſi proximi circuitus proximis conferantur, exigua diſſimilitudo apparebit. Tranſplantantur quoque hæc circuituum vel reſolutionum ordinata tempora, ex iiſdem cauſis, ex quibus digeſta tempora antea declaravimus immutari. Sæpe ſanguinis miſſione, purgatione, & ſimilibus machinationibus, circuituum numeri abbreviantur, immutantur, ad exaltationes deſtinatas pervenire non permittuntur, magna ægrotorum commoditate. Etſi opportuna remedia exhibeantur, reſolutis & conſumtis radicibus, univerſæ prædeſtinationum leges fermentationum diuturna & dura decreta tutò ac citò tolluntur. *Criſes in iis morbis contingunt, in quibus radices; poſteaquam ad certum maturitatis gradum Tincturas reſolvendas perduxerint, ſubita efferveſcentia univerſam ſobolem cum tota radice reſolvere poſſunt, idque vel corporea vel vaporoſa reſolutione, reſolutamque impuritatem, vel per ſudores, vel per ſanguinis fluxum, vel per alvi excretiones, raro per urinas, confeſtim evacuare.* Vocabulum Hippocrates non à Judiciis, ſed ſeparationibus poteſtatum vel ſpirituum, à continuitate minerarum, deſumſit. In continuis febribus, & exquiſitis tertianis, tales radices Criſes perfectas ſæpe oſtendunt. Apoſtematum verò radices, ut pleuritidis, prunellæ, peſtis, carbunculi, & febrium nonnullarum continuarum, minus exquiſitarum, ſæpe imperfectas criſes, per Depoſitionem, ut loquitur Hippocrates, & tranſmiſſionem reſolutarum Tincturarum ad ſuſpectas partes, per urinas, & imperfectas evacuationes, relinquunt. Tales morbi, ubi prima germinationum rudimenta emiſerint, quod in plurimis quarto die contingit, in nonnullis tertio, quinto, ſexto, ſeptimo, octavo, &c. certa inditia futuræ reſolutionis demonſtrant. De quibus copioſius in noſtris De febribus agemus: nunc omnia adferri non poſſunt. Multa quoque dicenda eſſent de temporum Tranſplantationibus in morbis, de mixtionibus impuritatum, de locorum proprietatibus quæ tempora variant, de continuis morbis, à principio decreſcentibus ad ſolutionem uſque, vel augeſcentibus, vel in eodem ſtatu permanentibus, de circuituum mixtione & præſentia in continuis morbis: quæ omnia locis & temporibus opportunioribus explicabuntur. Galenus cauſas circuituum ad partium

diſpo-

diſpoſitiones, trahentium, generantium, ſuſcipientium, mittentium excrementa, retulit. Partes enim quæ aluntur, quoad ſimilem habuerint diſpoſitionem ab eodem nutritæ alimento, æqualia quantitate, ſimilia qualitate, & eodem temporis tractu, excrementa colligere, hæc deinde vel copia, vel qualitate, expultricem facultatem ſtimulare. Mirum quod antea paulatim non aggrediatur expulſionem, priuſquam tanta coacervetur copia, quæ ſæpe naturæ vires ſuperare ſolet, & noxia ſymptomata inferre. *Subitæ mutationes, & præcipites actiones, Naturæ ſunt inviſæ: paulatim opus aggreditur & ſecuritatem magis quam celeritatem amat.* Diſpoſitionem partium ubique inexplicatam reliquit, cui tamen excrementorum procreationem attribuit. Neque ſe res ita habet. Etenim *incipientibus paroxyſmis, in mineris non adeſt tanta excrementorum copia: ſæpe exiguæ admodum impuritates animadvertuntur, quæ Tincturas habent copioſa vaporum ſupellectile fæcundas.* Vaporoſæ verò Tincturæ, quia Chærionium habent admixtum, non ſolùm excrementa inteſtinorum, ventriculi, renum, viſcerum, ſanguinis, ſynoviæ, carnium, inquinare poſſunt, ſed etiam vitalia Elementa totius Anatomiæ humanæ. Quinetiam accenſis & exaltatis Tincturis ſulphureis in morborum mineris, trahendi validam facultatem concedimus. Continent enim ſæpenumero ſpiritus inſaturabili fame præditos: & antea diximus, ſpiritus ſolùm eſurire, & ſitire, non corpora, potentioreſque à debilioribus trahere, idque poſteaquam exaltati fuerint, & in actum poſiti. Proinde non mirum eſt, ſi ex radicibus mercurialibus in capite reſolutis, ſpirituumque famelica attractione, tanta feroſi catarrhi copia, brevi tempore, per capitis emunctoria evacuetur, quanta in totius calvariæ capacitate comprehendi non poſſit. Neque mirari oportet, ſi in pleuritide ſputi tanta copia, brevi tempore tuſſiendo rejiciatur, quanta in membranis & muſculis intercoſtalibus nulla ratione contineri poterat. At verò multi exiſtunt morbi, in quibus ſpiritus famelici non adſunt, quorum reſolutiones non permiſcentur excrementis, ut melancholia, epilepſiæ, mania, in quibus circuitus cuſtodiuntur ordinarì, ſine excrementorum adminiculo. Similiter ſi diſpoſitionem partium morboſam, id eſt, radices, ſemina, Elementa, mineras, Tincturas, poteſtates, aſtra morborum, olfeciſſet Galenus, facultatibus certè quæ partibus ſanis inſunt, morborum gubernationem non aſſcripſiſſet. *Silent Naturæ prioris miniſteria, & hoſpitum potentiorum ſatellitibus provinciam concedentes, incognitas corundem molitiones, & novas progreſſiones anxie admirantur.* Non eſt illa facultas in poſterioribus ventriculis cerebri, alimentorum impuritàtes paulatim, quoad ſanitate fruitur animal, expellens, quæ tantas convulſiones, manuum, pedum, capitis, & totius corporis,

poris, in epilepticorum paroxysmis molitur: validiores adsunt vires, quarum efficaci potentiæ universum animantis robur obtemperat: quarum hostili & dolosa apprehensione, gloriosa illa statura tam superbi animalis, subitò prosternitur, & deformi ac horrenda agitatione, miserabiliter laceratur, ipso pavore astantium satis attestante, sacrum quippiam, dæmoniacum, potes, & humanis viribus superius, adesse. Quocirca, neque expultrici facultati partium (cujus proprietates & naturam non explicavit Galenus) neque excrementorum collectionibus vel transmissionibus, circuitus morborum asscribi debent. Nec qualitates excrementorum, crassities, tenuitates, viscidítates, caliditates, frigiditates, rectè adducuntur. Sunt enim signaturæ & umbræ earundem proprietatum & potestatum, quæ temporum circuitus gubernant. Et quemadmodum colorum, saporum, figurarum Scientias continent, ita quoque coagulationum, & corporum consentaneorum signaturis, non destiuuntur. Neque proprietates quæ crassas corporum coagulationes obtinent, tardiora perpetuò digestionum & resolutionum tempora ostendunt. In spiritualibus corporibus temporum diuturna silentia sæpe existunt, ut in morbis astralibus apparet: crassa verò & corporea semina in ventriculo, intestinis, & vicinis partibus, celeres habent periodos, & Lunæ circuitus, ut ait Hippocrates, imitantur. Tempora certè rerum omnium, posthabitis corporibus & extremis spirituum coagulationibus, in spiritualibus Tincturis radici vicinioribus perpetuò delitescunt. Quod ad reliquas morborum signaturas attinet, dolores, pulsuum immutationes, urinarum & aliorum excrementorum alterationes, concoctiones, cruditates, calores, horrores, rigores, frigiditates, somnos narcoticos, vigilias, deliria, insensibilitates, in summa, ad actiones læsas, excrementa immutata, & externa corporum accidentia, quia temporis angustia, itineris necessitas, & compendii leges, non admittunt, singulatim hoc loco explicari non possunt. Nihilominus si diligenter considerentur ea quæ de morborum Generationibus & Transplantationibus, actionum naturalium administrationibus, à nobis prodita sunt, non erit difficile symptomatum omnium generationes & progressus invenire. Exempla & Methodos inveniendi, antea posuimus: hîc quoque nonnulla adjicientes, finem huic Capiti imponemus. Itaque *dolorum causas* inprimis adjungemus. *Hi omnes, à spiritibus salium resolutis proficiscuntur, in quibus saporum extremitates adsunt*, ut austeritatis, aciditatis, acrimoniæ, salsedinis & similium: ut vel hinc palàm fiat, quam ineptè contra Archigenem disputet Galenus, secundo De locis affectis, quòd saporum nomina doloribus accommodaverit: acerbum, austerum, acidum, mordax, salsum, dulce,

dulce, amarum, acre, lingua judicari: ſiccum, humidum, calidum, frigidum, aſperum, leve, tactu: dolorem verò tactus eſſe ſymptoma: proinde ex objectis tactus, differentias & nomina dolorum deſumi debere. Næ ille ſubtili lingua præditus fuit, ſi ſaporum differentias ſine tactu deprehendere potuit. Tactum ſanè omnibus ſenſibus communem conceſſerunt Philoſophi. Neque ullam actionem vel paſſionem ſine tactu fieri poſſe, aſſerunt Peripatetici, confirmant Platonici. Sapores verò, amaros, acidos, auſteros, acres, linguæ dolores inferre differentes, etiam pueri ſciunt: catarrhos, dolores ſalſos producere, & ſalſedine aſperam arteriam ac pulmonum cannas fatigare, multi ægroti conqueruntur. *Facilius quoque intelligitur dolores colicos ex acetoſiſſimis, pontagioſis, & acutiſſimis Tincturis per omnia penetrantibus proficiſci, quam ſi ex frigiditate* (quæ tanta in vivente eſſe vix poteſt, ut tam immanes dolores ciere poſſit) *ſiccitate vel aſperitate, oriri dicantur.* Ex eſu acidorum dentes & gingivæ dolent, dolorisque speciem nomine inſignunt ex ſaporum proprietatibus deſumto. Rurſus, uſu ſalſorum, lingua, palatum, gula, dolent, dolorisque diverſam à priori ſpeciem, diverſo quoque nomine exprimunt homines ita affecti. Dicunt enim ſe triſti ſenſu, id eſt dolore, eoque ſalſo, laborare. Idem contingit ex *uſu acrium, ut* zingiberis, piperis, aronis, perſicariæ, &c. amarorum quoque, ut abſynthii, fellis, centaureæ. In omnibus ſanè, differentes dolorum ſpecies repreſentantur, ſaporum proprietatibus cohærentes. Quòd ſi ſimiles dolores, proprietates, in aliis quoque partibus contingant, quis ſimilibus affectionibus, cauſis, effectibus, ſimilia nomina rectè accommodari poſſe negabit? Neque proprietates, & objecta ſenſuum ea ratione confundentur. *Linguæ officium eſt, ſaporum diſcrimina interpretari, affectiones verò, & impreſſiones ſaporibus cohærentes, non ſolùm lingua, ſed & aliæ multæ partes, etiam invitæ, percipient.* Sapores etiam extremos, & ad ſummam exaltationem ductos ſæpe continent, quales, ſi linguæ repræſentarentur, dolores maximos & intolerabiles ſæpe inferrent. Injuſtè igitur Archigenem accuſat Galenus, quod dolorum differentias ſaporum beneficio declaraverit, & nomina ex affectionibus ſaporum deſumpta doloribus accommodaverit. Immemor procul dubio fuit, etiam Hippocratem febrium differentias, quæ tactu dignoſcuntur, mordaces appellaſſe, acutas, & ſalſuginoſas. Dulces verò ſapores propterea non inferunt dolores, quia non ſunt extremi, ſed medii, maturi, æquabiles, permixti, ſine valida ſalium Tinctura, à qua dolores & extremi ſapores proficiſcuntur. *Loca autem quæ vehementiſſimis doloribus conflictantur, confluentiam habent cum ſalibus potentiſſimis,* ut ortificium ventriculi, inteſtina, renes, veſica, ſynovia. Continent enim mucilagines, in quibus ſpiritus

ritus salium acutissimi & extremi sæpe latent, & longa digestione separantur, ac ad exaltationes ducuntur. Hinc arthritides, chiragræ, podagræ, Cedmata Hippocratis, dolorificæ fluxiones, cephaleæ, hemicraniæ, dentium dolores, ob confluentiam spirituum salis cum synovia, in qua vaporosa resolutione recepti, lentas coagulationes admittunt, salium potentibus Tincturis & saporibus insignes. Viscera verò tantis doloribus non affliguntur, quia non habent confluentiam cum spiritibus & Tincturis salium, id est, non constant ex proprietatibus trium Principiorum, quæ salium insignes proprietates demonstrant, magis boli, cachymiæ, sulphurearum terrarum naturam referunt, in quibus spiritus obtusi, insipidi, graves ac tardi, deprehenduntur. Atque hæc vera ratio est, quare dolores graves in visceribus contingant, non nervorum copia, vel penuria. *Qui dolores à contusione, sectione, ustione externa calefactione vel refrigeratione contingunt, Relollacei sunt*, id est, à corporibus vel qualitatibus mortuis producti, toto genere ab iis discrepantes, quos hactenus descripsimus, qui à Tincturis Chærioniis, vel qualitatibus vitalibus in corpore nascuntur. *Stupores, insensibilitates, somni narcotici, à spiritibus sulphureis proficiscuntur*, in quibus proprietates papaverinæ, mandragorinæ, cicutariæ, hyoscyaminæ, & similes, vigent. Pulsuum motiones ordinatas & naturales antea diximus à spiritibus vitalibus proficisci, non à corde vel arteriis. Ablatis enim spiritibus, vel silentibus, arteriæ vel cor, in æternum non movebuntur. Itaque à spiritualibus Tincturis & vaporosis resolutionibus morborum transplantantur, & admixtione spirituum narcoticorum, quales in principiis paroxysmorum febrilium resolvi diximus, tardi redduntur, parvi, contracti, pigri, quia styptica vis, & frigida cum narcoticis spiritibus vel vaporibus conjungitur. Accenso sulphure febrili, quia celeres motus habet & magnos, similiter alterantur pulsus, & inæquales redduntur, ob admixtionem peregrinarum Tincturarum, in quibus est potestas contrahendi, exiccandi, calefaciendi. *Immutantur pulsus à resolutionibus & spiritibus omnium morborum, qui vitalia Elementa penetrare, inquinare, & afficere possunt, & secundum proprietates spirituum resolutorum, vitalibusque Elementis permixtorum, mutabuntur pulsus.* Horum proinde proprietatibus & legibus obtemperabunt necessitates & instrumenta. Robusti pulsus, qui digitorum carnes validè feriunt, & justa profunditate ingrediuntur, observandi sunt. Indicant inim Elementa vitalia non esse admodum inquinata, nec potentibus Tincturis hostilium spirituum occupata, nisi in arsenicalibus, auripigmentalibus, antimonialibus, nappellosis, & similibus morbis, ut in peste,

pleuritide, febribus malignis. Talium enim morborum Tincturæ, quamvis pulsuum motiones non varient sensibiliter (ob motum sulphuris hujus accensi, motibus naturalibus pulsuum similem) nihilominus præsentem perniciem ac celerem resolutionem vitæ moliuntur. Languidi quoque non semper læthales existunt. Sæpe ex resolutionibus spirituum mercurialium insipidorum, humectati spiritus vitales falsam debilitatis opinionem pepererunt. *Pulsant etiam inflammatæ partes, non propter compressionem arteriarum*, quia in unguibus, & digitorum extremitatibus manifestissimi pulsus in inflammationibus apparent, quamvis arteriæ nullæ ibi conspiciantur: *sed quia sulphur ibi continetur accensum, cujus natura est agitari, moveri, & pulsare. Ordinatè verò pulsat, quia continuitate vitalis Elementi fruitur, cujus ordinem imitatur.* Miror industriam Galeni, & sensuum exquisitam subtilitatem, in pulsuum tam obscuris, latentibus, vix mente comprehensibilibus differentiis dignoscendis. Certè, multos vidi Medicos, in Germania, Italia, Gallia, totius vitæ decursu in artis operibus versatos, qui sanctè affirmabant, & adhuc multi affirmant, omnes illas differentias à Galeno non fuisse tactu deprehensas, sed Geometricis & Musicis rythmis descriptas, ut gloriam aliis eriperet, & judicandi subtilitatem ostenderet: earum rerum dignotiones sensibiles jactasse, quæ, quia à nullis sentiri possunt, reprehensionem non admittunt: perinde, ac si quispiam naves in cœlo, vel novas stellas, vel Satyros infra terram saltantes se aspicere, obstinatè affirmaret, à nullo mortalium redargui posset, nisi quis ejusdem sapientiæ afflatu bearetur.

De calore, rigore, horrore, frigore, & similibus morborum accidentibus, sæpe antea dictum est: & jam nox humida cœlo præcipitat, suadentque cadentia sydera somnos. Itaque brevi repetione, rationes dispersas conjungentes, dicemus:

Loca morborum diversa esse, seminumque conditiones & progressiones imitari, quæ ex spiritualibus Tincturis, ad corporeas coagulationes sæpe desinentes, locorum dissimiles societates ostendunt, actiones læsas, non mineras morborum, sed consensus & sympathias partium declarare, excrementa, dolores, tumores in corporeis & postremis affectibus solummodo significare: in primis verò radicibus & spiritualibus Tincturis, Elementalia loca, remediorum beneficio & symptomatum vehementia rectius inquiri. Tempora deinde morborum, tam digestionum quàm resolutionum, ex Scientiis, & donis Seminum prædestinationes accepisse. Esseque in familia earum signaturarum quæ speciei vel radici, non Indi-

Individuis cohærent. Transplantari tam loca quàm tempora morborum efficientia causarum, quæ Transplantationes efficere solent. Postremò signaturas & symptomata reliqua morborum, ut actionum læsiones, excrementorum immutationes, calores, dolores, colores, ex spiritualibus & vaporosis resolutionibus morbidarum radicum proficisci.

Ita natos ac educatos morbos, posthac Curatoribus concedemus.

CAPUT XIV.

De Curandi Ratione, & legitima Indicationum ac Remediorum administratione.

DEmonstratis morborum seminibus, radicibus, principiis, differentiis ac proprietatibus, Generationibus quoque & Transplantationibus expositis, tempestivum nunc fuerit curationum leges & Methodos adjungere. Ita enim difficultates, & occultæ Mechanicæ obscuritates, in morborum nativitatibus ac Transplantationibus, manifestius explicabuntur, veritatemque invisibilis Theoriæ, sensiles actiones & effectus confirmabunt. Itaque, *quia morborum omnium impuritates, radices, & semina, in humanam Anatomiam, vel ab ortu, vel postea alimentorum usu, implantantur, primum & præcipuum curationis vel sanationis consilium erat, tales impuritatum mixtiones auferre.* At verò dissimilis est conditio harum mixtionum. *Quædam enim ipsis radicibus humanæ naturæ proxime adhærent*, & Scientias conjuxerunt cum invisibilibus & primis Principiis Microcosmi, naturalibus tamen. Tales, quia Speciei junguntur, & Scientiarum ac prædestinationum mixtiones admittunt, sensibilibus actionibns non subjiciuntur, nec ulla artificum vel Naturæ industria separari possunt, sed prædestinationum terminos, immutabili necessitate constituunt. Ita, quæcunque nascuntur, morti confestim obnoxia fiunt. Neque Medicina conjugium vitæ & mortis separationi destinatum, perpetuum efficere potest. Pauci quoque hujus mixtionis necessitate vitæ usuras relinquunt. *Aliæ mortis species accedunt, plures mixtiones superveniunt, parentum culpa, propria intemperantia, & novis ac noxiis Elementorum resolutionibus, quæ in sæculi consumtionem, singulæ, suis temporibus, adeunt.* Hujusmodi mixtiones, Individuorum sunt, Speciei vel Radici inseparabiliter

biliter non cohærent, nec necessariæ, natura & nativitatis ratione, nisi temporis diuturnitate conjugia inseparabilia contraxerint. Sive igitur hæreditario parentum semine, sive alimentorum culpa, sive externarum impressionum injuria, impuritates & radices morborum in humanam Anatomiam introducantur, Medicinam in Natura habent, cujus beneficio separari possunt, resolvi, aboleri, illæsa & constante radice prima, specifica, & pura humanæ naturæ. Levioribus remediis auferuntur, ultimarum vel postremarum mixtionum impuritates, quæ alimentorum exiguo brevique delicto, vel temporum mutationibus consuetis inplantantur. Potentiora verò requiruntur ad primas, hæreditarias, connatas impuritatum mixtiones tollendas. Quocirca *nec podagræ, nec hydropes, nec lepræ, nec epilepsiæ insanabiles sunt, sive hæreditariæ, sive alimentariæ existant, sive leviores, sive graviores, sive incipientes, sive confirmatæ, nisi occulta prædestinatione, mortalibus incomprehensa, insanabiles evadant.* Accidentia supervenientia, & morbi secundarii, vel læsiones, ut calculus adamantinus in vesica, bolus consumatus in hepate vel liene, topi podagricorum lapidescentes, remediorum ope vix resolvuntur. Carnes quoque in ulceribus corruptæ non restituuntnr, quia vitæ continuitatem amiserunt. Sed hæc symptomata morborum, hi effectus, non impediunt, quo minus radices, causæ, principia, à quibus diuturna temporis decursione proficiscuntur, remediis tolli possint. *Quidquid in Natura radices habet, quidquid seminales Tincturas Transplantationum authores possidet, quidquid mixtione peregrinas provincias occupavit, separationi obnoxium est,* & separatores, prædestinationum abbreviatores, durationum, magnitudinum, colorum, saporum, coagulationum Transplantatores & destructores obtinet: alioquin Transplantatio nomen inane erit sine subjecta re. Ut autem consilia curationum, & Indicationum rationes rectius intelligi possint, sanationum Ideas, morborumque differentias, hisce contemplationibus opportunas, Remediorum facultates, & agendi modos, ordinatè proponemus. Quibus declaratis censuram Indicationum diversarum sine injuria breviter instituemus. *Sanationes quæ manuum ministerio perficiuntur,* ut luxatorum artuum repositiones, fracturarum convenientes deligationes, sectiones, ustiones, venarum incisiones, sacrificationes, & similes operationes, *artificiales planè sunt, externæ, corporum agilitate, exercitatione, & consuetudine, potius quàm Naturæ potestate, absolvendæ.* Ægritudines quoque, vel morborum læsiones, hisce curationibus obtemperantes, externæ sunt, sensibus subjectæ, in quibus communi sensuum judicio insinuantur agendi rationes, id est, repræsentantur Indicationes etiam rusticis: habilitas verò, consuetudo & exercitatio perficiendi propositi, artifices

ces constituit, qui gloriæ & avaritiæ stimulis incitati, officiis suis sæpe abutuntur, secantes, urentes, & extrahentes, ubi nec sectione, nec ustione, nec extractione opus esset. Quia verò fracturis, contusionibus, & luxationibus, sæpe supervenerunt symptomata, ut inflammationes, exulcerationes, dolores, & fluxiones, non solam repositionem vel deligationem sufficere, sed remediis, & Naturæ adminiculo opus esse intellexerunt. In his symptomatibus obscuræ erant causæ, nec sensuum externis & nudis conjecturis, agendorum rationes statim demonstrabantur. Itaque subtiliore inquisitione causas & generationes symptomatum vel ipsi quæsiverunt, vel à prioribus quæsitas acceperunt, remediorumque naturas ac facultates talibus affectionibus resistentes. Casus certè, & fortuita experientia, in his & similibus, magis quàm ratio ac rerum scientia, magistra fuit, quemadmodum in vulneribus quoque apparet, quorum curationes his vicinæ sunt. In iis enim remedia Antiquorum, & Empiricorum præstantiora sunt, quàm Dogmaticorum & Neotericorum Indicationes requirunt. *Alii morbi, qui ex semine nascuntur, qui mixtiones & insitiones impuritatum sequuntur*, ut ulcera, febres, podagræ, epilepsiæ, hydropes, colicæ, pleuritides, *sanationes difficiles, obscuras, sæpe desperatas obtinent*, quia Indicationes, quæ ex sensuum analogismis ducuntur, in his steriles sunt, & nativitates eorum difficulter intelliguntur: Remediorum verò naturæ & præparationes, quibus tolluntur, difficillimè investigantur. Hinc tantæ curationum diversitates, & incurabilium morborum novæ Centuriæ defluxerunt. Quos Labyrinthos, & inexplicatos nodos, proposita sanationum infallibili, naturali, ac consentanea Definitione, hac lege expediemus. *Sanatio Universalis & perfecta, est ablatio impuritatum, vel Radicum morbidarum, mixtione non necessaria humana Anatomia insitarum, quæ Balsamo naturali remediorum, humanæ naturæ consentaneo, perficitur, resolvente, consumante & dissipante impuritatum seminarias Tincturas, corroborante verò, consolidante & custodiente innatum Microcosmi Balsamum. Particularis est, in qua non semper radices ipsæ, vel seminales Tincturæ morborum tolluntur, sed sæpius fructus, symptomata, paroxysmi, dolores mitigantur, prohibentur, ad exaltationes pervenire non permittuntur, excrementorum evacuationes instituuntur, & debilitatæ naturæ corroborationes adjunguntur.* Tales *curationes*, gradus habent, altiores & inferiores, pro ut magis accedunt vel recedunt ad proprietates & conditiones universalium curationum, fiuntque *Genericæ, Subalternæ, Specificæ, Individuæ*, ratione graduum & proprietatum. Tria enim hæc, *Morbi, Remedia, Sanatio, analogias habent consentaneas & reciprocas, præcipuè verò,*

rò, *remedium & curatio.* Differentiæ proinde remediorum, curationum varietates pariunt, & morborum naturæ, exaltationes, loca, generationes, curationum ac remediorum ordines, demonſtrant, & viciſſim. *Sic morbi hæredarii*, ubi ad exaltationes pervenerint, & *alii quoque morbi conſumati*, ut epilepſiæ, podagræ, lepræ, hydropes, *ſanationem Univerſalem requirunt, & remedia perfecta.* Quæ verò podagræ, epilepſiæ, lepræ, hydropes, & horum morborum affines, febres, apoſtemata, icteritiæ, cachexiæ, ulcera, ſcabies, tubercula, fluxiones, paralyſes, catarrhi, colicæ, cephaleæ, nephritides, nondum ad extremitates venerunt, minus Univerſalibus remediis, & curationibus ſæpe Particularibus obtemperant. *Optanda quidem eſſet Univerſalis curandi ratio, ſed paucis conceſſa fuit: nihilominus particularis non eſt contemnenda.* Sæpe enim in morbis, etiam graviſſimis, Univerſalis officio fungitur, impuritatum radicibus conſumtis, & Balſami virtute confirmata. Hujus differentias & rationes paucis exemplis illuſtrabimus, & viam veritatis, quoad licet, aperiemus. Demonſtravimus antea, actiones omnes naturales à ſpiritibus ſpiritualibuſque Tincturis proficiſci, in quibus mechanicæ Scientiæ trium Principiorum vigerent. Ita enim *morbi implantantur in Mumias, Elementa & Anatomias partium Microcoſmi, ex vaporoſis Tincturis alimentorum, in quibus impuritatum & morborum Scientiæ ac prædeſtinationes latent:* ita digeſtionum temporibus fermentantur, augentur, & ad generationes perducuntur, quibus inſtantibus, reſolutione vaporum & ſpirituum paroxyſmos & ſymptomata omnia pariunt: ita remediorum actiones ex ſpiritibus vitalibuſque ſpirituum Tincturis procedunt, non ex corporibus, vel mortuis Relollaceiſque qualitatibus. Spiritus ſunt qui reſolvunt, qui vomitiones, alvi excretiones, urinas, ſudores, inſenſibiles tranſpirationes, menſtrua promovent; ſpiritus mundificant ſanguinem, & vitalia Elementa clarificant, ſpiritus conſolidant, tonum & tobur vitali Balſamo impartiuntur: Spiritus ſomnum generant, fluxiones ſiſtunt, dolores demulcent: ſpiritus morborum diverſoria ſoli ſciunt, & Scientiam reſolvendi, evacuandi, conſumendi impuritates morboſas ſoli poſſident. In ſumma: quæcunque ad curationem requiruntur, omnia in ſpirituum poteſtate continentur. Itaque ſpirituum differentias & proprietates, de quibus ſæpe diximus, repetere oportet, ſi ſanationum myſteria intelligere velimus. *Sunt autem Spiritus, aſtralia vel inviſibilia corpora, accenſa, reſoluta, ſublimata vel in actum reducta, proprietatibus trium Principiorum inſignita, quibus actionum cauſas aſſcribunt. Diſcrimina Spirituum plurima ſunt.* Quidam arctiora conjugia cum corporibus contraxerunt, qui corporei quodammodo

dammodo, crassi, & tardi evadunt. *Quidam* vero corporibus subtilioribus adhærent: alii puri sunt, alii permixti, alii salium proprietates magis referunt, alii sulphurearum specierum, alii mercurialium. *Actiones* quoque & impressiones *spirituum diversæ* contingunt, spirituum differentiis analogæ. Nam *corporei*, in partibus vicinis solummodo imprimunt, & saporum ac salium crassiorum proprietatibus agunt. Hi in ventriculo & intestinis impuritates sulphureas, crassas, vomitioni destinatas, vel alvi excretioni, resolvunt. *Alii* verò qui corporum crassorum commercia non habent, colorum, lucis, & subtilissimorum saporum Tincturas, impressiones & actiones imitantur: tales clarificant, consumunt, mundificant, subtilium Tincturarum & impuritatum resolutiones moliuntur, & volatilitate ac facili penetratione præditi cum sint, vitalia Elementa universi corporis tingunt, locisque distantibus facilè actiones imprimunt. *Potestates* quoque horum *spirituum differunt*, nec omnes qui subtiliores sunt, validioribus quoque proprietatibus insigniuntur, neque morbi omnes qui in sanguine, synovia, carnibus, visceribus consistunt, graviores sunt iis, qui in ventriculo, intestinis, vel mesenterio fundantur: alioquin frustra adhiberentur spiritus Vegetabilium in morbis sanguinis & remotarum partium. Tales actiones, & actionum authores intelligere oportet, priusquam Curationum leges explicari possint. Morborum quoque differentias & proprietates præmittere convenit, quas antea ex impuritatum diversis seminibus deduximus, inhærentium in Balsamo vitali & Mumia partium humani corporis, quæ ablui, resolvi, & consumi debent, remediorum consentaneis spiritibus. Declaravimus enim, *morbos verè universos radices habere similes, locis solùm differre, adeoque morborum summa genera, primas radices, ad quas reliquæ tanquam ad fontes & principia reducuntur, non esse multas.* Hic verò quatuor morborum omnium Monarchas constituemus, impuritatum radicibus manifestè differentes. Ad horum deinde familias, morbos reliquos obscuriores, inferiores, debiliores, & imperfectos, magna curationis commoditate, reducemus. *Quæcunque enim morborum semina in humana Anatomia fructus & symptomata proferunt, affinitatem habent vel cum Lepra, vel cum Podagra, vel cum Hydrope, vel cum Epilepsia. Lepræ insignia gerunt, ulcera omnia, pruritus, scabies, alopeciæ, furfures, squammæ, scissuræ, cutis fœditates, postulæ, malum mortuum & similes affectus. Podagræ signaturas ostendunt, colicæ, nephritides, orexes, dentium dolores, arthritides, dolorificæ fluxsones, cephaleæ, hemicraniæ, &c. Hydropis affines sunt febres omnes, apostemata, icteritiæ, cachexiæ. Ad Epilepsiam referuntur catarrhi, paralyses, palpitationes cordis,*

 spasmi,

ſpaſmi, vertigines, melancholiæ, apoplexiæ, ſuffocationes uterinæ, & vicini morbi. Tranſplantationes quoque horum conſiderare utile eſt. Conſpirant inter ſe omnium morborum radicales impuritates, & mixtiones Tranſplantationum authores facile admittunt. Ita ſæpe conſpiciuntur catarrhi podagrici, paralyſes leproſæ, apoſtemata, icteritiæ, cachexiæ, ulceroſis proprietatibus inquinatæ, febres arthriticæ, paralyticæ, catarrhoſæ, ad prædeſtinationes leproſas inclinatæ. Sic novorum morborum reſolutiones, ſive Tranſplantationes conſtituant fœcundas, ſive evaneſcentes, vel ſubitò vel tardè, ut morbi Gallici, ſudoris Anglici, peſtis petechioſæ, prunellæ, dyſenteriæ, pleuritidis, & ſimilium Tincturæ Epidemicæ, in radicibus antiquarum impuritatum implantatæ (cum iis enim confluunt) mirabili mixtione adulterinas morborum ſpecies proferunt, ſymptomatum inſueta pernicie, vehementia & copia comitatas. Magnum operæprecium ad veras & legitimas morborum curationes adferunt hæ diſtinctiones. *Longè aliter tractandi ſunt morbi permixti & tranſplantati, quàm ſimplices & legitimi.* Quamvis autem abſoluti hydropes, perfectæ lepræ, conſumatæ podagræ & epilepſiæ, Univerſali ſolummodo curationi ſubjiciantur, in qua Indicationum pluralitates, particularitates, ordines, locum non habent, ſed una eademque Medicina reſolutiones, conſumtiones, regenerationes & corroborationes abſolvantur; nihilominus, quia talium Tincturarum (ſcio multos pluralitate offendi) occultæ prædeſtinationes, quarum poteſtate Univerſales illæ curationes perficiuntur, in majeſtate Naturæ latent, diſpenſationibus mundanis non ſubjectæ, & pauciſſimis conceſſæ, ſi minus Univerſales, Particulares, Subalternas, Specificas, Individuas curationum ſpecies attingere liceret, beati utique eſſemus. *Particulares dico curationes, quæ tamen conditiones & proprietates Univerſalis illius & ſummæ, legitimè, quoad fieri poteſt, imitentur:* quæ relicta Individuorum infinitate ad Specierum & ſuperiorum Generum ſimplicitates, unitates, & poteſtates aſcendunt: quæ faſtidioſam Indicationum copiam, debilitatem, & virium extremam egeſtatem, inſociabilem & implacabilem repugnantiam, ordinationem diuturnam, ſæpe lubricam & pernitioſam, ſuperarunt depoſitis ac deſtructis remediorum Individuis Tincturis. Tales curandi rationes ſæpe Univerſalium officia abſolverunt: podagras, lepras, hydropes, epilepſias, ſuſtulerunt: ulcera, febres icteritias, apoſtemata, colicas, catarrhos, unicæ Indicationes poteſtate ſanaverunt. Neque difficultates, Elementa, gradus & exaltationes morborum aliunde rectius deprehenduntur, quam ex Particularium curationum & remediorum effectu, impreſſione & poteſtate. Ita Particulares curationes

tiones & curationum authores oſtendunt, Quartanas, interdum epilepſiis, icteritiis, hydropicis & podagricis affectibus obſtinatiores, validioribuſque Tincturis ac vinculis Elementa ſua, & mineras occupaſſe. Ita Particulares Curatores declarant nonnullos morbos in ventriculi & inteſtinorum Anatomia fundatos, difficiliores eſſe, ægrius tractari, reſolvi, conſumi & deſtrui, quàm alii in ſanguine, ſynovia, carnibus, viſceribus recepti. Ita Particularium remediorum Scientiæ & agendi proprietates, magna Medicorum admiratione demonſtrarunt, eſſe impuritates morborum in ventriculi & inteſtinorum Mumia radicatas, quæ per urinas, ſudores, inſenſiles tranſpirationes evacuari volunt, fruſtraque in his expectari vomitiones, vel alvi excretiones. Rurſus, in ſanguine, ſynovia, carnibus, viſceribus, ſæpe contineri impuritates, quæ naturales evacuationum vias, per alvum & vomitum, obtinent. Ita conſenſum ac conſpirationum Naturæ aperiunt, ac infinitas difficultates & obſcuritates ſola ratione comprehenſibiles, facili ac manifeſta actionum evidentia explicant. In hujuſmodi enim remediis, Scientiæ continentur immutabiles, locorum, radicum, reſolutionum, expulſionum, & ſimilium actionum ac prædeſtinationum duces. Horum beneficio diſcernuntur morbi dependentes, ſecundarii, à ſolitariis & primis, in quibus fomites ac Tincturæ aliunde non accedunt, quæ recidivis & inexpectatis paroxyſmorum recurſionibus, curationes reddunt difficiles. Temeritatem quoque eorum Medicorum accuſant, qui Individuæ particularitatis remedia interdum nacti, poſteaquam febrium quartanarum vel tertianarum, icteritiæ, adulterini hydropis, podagræ, epilepſiæ, &c. curatores extiterunt, glorioſa oſtentatione, immerita remedia infamarunt. Quia enim in aliis morbis qui leviores cenſebantur, fruſtra exhibita, opem degenerant, abutentium errores & peccata ſuſtinere coguntur. Neque enim ita ad Specierum & Generum provincias exaltantur remedia, ut ſi hydropes adulterinos curarint, etiam inferiores omnes morbos evincent, ut febres, cachexias, icteritias: neque ſi quartanas aliquando abſtulerunt, etiam tertianas & quotidianas omnes auferent: ſed quartanarum, hydropum, & ſimilium morborum radices, ſemina, Elementa, tempora, mineræ, exaltationes, antea conſiderandæ ſunt, & remediorum naturæ, ordines, præparationes, exaltationes, gradus, compoſitiones, &c. Ita enim juſtius provinciæ diſtribuentur, & latiora imperia potentioribus Curatoribus æquiſſimè cencedentur. Qua igitur ratione & Methodo deprehendi poſſunt leges Particularium curationum? Sanè ſi Exemplaris, Ideæ, vel Generis perfectionem æmulari debent, & ptoprietates Univerſalium ſanationum, quoad fieri

 poteſt,

poteſt, imitari: ſi conditiones, quas antea in Idea perfectæ curationis conjunximus, diſtributas explicaverimus, & certis differentiis, in Natura facultates & radices habentibus, Generis poteſtatem reſolverimus: Species omnes, tam Subalternas, quàm Individuas, Particularium curationum, ordinatè inveniemus, quas poſtea, ſingulis morbis, prout neceſſitas & uſus requirit, artificioſè & debitè accommodabimus. In Univerſali curatione diximus fieri ablationem, reſolutionem & conſumtionem impuritatum, quæ mixtione neceſſaria radices egerunt in humana Anatomia. Hujus ablationis, reſolutionis, vel conſumtionis differentias illuſtres, ex ſpecierum & remediorum Particularium proprietatibus, ſi adduxerimus, *curandi rationes Subalternas & Individuas utique conſtituemus.* Deprehendimus *in ordine Vegetabilium, Mineralium, & Animalium, proprietates trium Principiorum, quæ reſolvere, abluere, & conſumere poſſunt impuritates febriles ad coagulationem non tendentes, & mucilaginoſas, coagulatas plus minus, ſive ad bituminoſas, ſive ad bolares, ſive ad lapideas, ſive ad arenoſas coagulationes declinent, niſi ad ultimam materiam pervenerint, & prædeſtinationis terminum attigerint.* Tunc enim, Naturæ legibus, non conceditur regreſſus. In his proprietatibus, plurimas differentias conſpeximus. Quædam enim, impuritates ablutas & reſolutas vomitione rejiciebant, in quibus antimoniales & helleborinæ facultates vigebant: quædam, per alvum, quæ ſcammoneatis & colocynthiacis viribus pollebant: quædam verò per utraſque vias. Morbos deinde nonnullos, ſed paucos, vidimus obtemperare actionibus harum proprietatum. Itaque conjunximus & correximus, non communi Methodo: contundantur, miſceantur, fiat pulvis: neque Recipe radices, flores, ſemina, fructus, cortices, aromata: decoquantur ſecundum artem, fiat Apozema: nec ſimplici infuſione & expreſſione, ſed alia ratione, de qua ſequenti Capitulo dicemus. Ita, quæ debiliora erant fruſtra in morbis omnibus gravioribus adhibeantur: quæ verò validiora, quamvis ſæpe opem tulerint, nihilominus, quia ſymptomatum perniciem & virium dejectionem, ſemper fugiendam, adduxerunt, ab uſu eorum deſtitimus. Aliam deinde rationem purgantium quæſivimus, in quibus non dejectionum numero vel copia, facultatum poteſtatem & præſtantiam æſtimavimus, ſed *ubi morborum radices, impuritateſque ablatas, ex ſymptomatum remiſſione & virium reſtitutione animadvertiſſemus, officium abſolviſſe hæc remedia judicavimus, ſive abſoluta conſumtione ſine ſenſibili excretione, impuritates tollerent, ſive urinas, ſive ſudores, vel dejectiones moverent.* Eadem ratione, diuretica & diaphoretica quæſivimus (non enim per alvum excerni volunt omnium morborum impuritates) & ſimiles differentias deprehendimus. Mundi-

ficantia

ficantia quoque, & clarificantia Balsamum, spiritus, & Elementa omnia Microcosmi, adjunximus, Rursus, in Universali curatione, non solùm ablationes impuritatum, sed etiam corroborationes Balsami innati, consolidationes, regenerationes, virium refectiones, humectationes, mitigationes, sedationes, administrabantur, & ablatis symptomatum cruciatibus, amica quies naturæ reddebatur, videbaturque Universalis curatio, corroboratione Balsami, mitigatione, & quieta Transplantatione, hostiles impuritates superare. Sæpe enim resolutiones & fructus morborum, ipsis radicibus perniciosiores existunt. Vitalia enim Elementa tingunt, ad quæ radices ipsæ, in silentia & digestionum temporibus, vix perveniunt, & syncopas, virium resolutiones, palpitationes cordis, anxietates, inquietudines, deliria, vigilias, somnos narcoticos, fluxiones brevi mortem allaturas, intolerandos dolores, calores ardentissimos, frigiditates extremas, sitim intolerandam, interdum lupinam famem, & similes calamitates adducunt, ægrotumque in extremo discrimine constituunt, mortis horrendis & certis nuntiis repræsentatis. Quocirca curationes, quæ corroboratione, sedatione, & mitigatione absolvuntur, tutiores sunt, præstantiores, altiores, utpote ad Balsami innati naturam ac proprietates proprius accedentes, & quoad fieri potest cum prioribus curationum Indicationibus, id est, purgantibus, resolventibus, abluentibus, cum ureticis, diaphoreticis, & mundificantibus, misceri & conjungi debent. Hoc ordine continentur anodyna, somnifera, humectantia, calores & sitim resolventia, fluxus sedantia, sanguinis missiones, quæ morborum exaltationes impediunt, evacuant, fluxus retrahunt, inflammationes, dolores, & symptomata leniunt, & aliæ quoque machinationes his vicinæ, ut scarificationes, hirudinum, cucurbitularum appositiones, balnea, fomentationes, restaurantia, confortantia, mitigantia. Tales proprietates in *Vegetabilibus*, *Mineralibus*, *& Animalium partibus plurimas invenimus, sed quæ præparationes, separationes, & exaltationes requirebant, anteaquam latentes & ligatas virtutes explicare poterant.* Frustra oxyrhodinum, cum unguento populeo & papaverino, ad vigilias mitigandas, sæpissime adhibuimus. Periculosas opii & opiatorum exhibitiones sæpe exhorruimus. Ridiculi aliquoties fuimus in podagricorum doloribus leniendis, cum unguento rosaceo, liliorum alborum, piguedine anserina, humana, taxi, vulpis. Sitim febricitantium & intolerandos calores, syrupis acetosis, acetositate citri, aceto granatorum, epithematis cordialibus, sedare, in vanum conati sumus. At verò, posteaquam præparationes Philosophicas, & separationes puri ab impuro didicimus, fatuitates, errores nostros, & stolidas persuasiones, salubri pœ-

nitentia irrisimus. Hisce remediorum ordinibus constitutis, & debitè ex Universalis curationis proprietatibus derivatis, ut perfectius curationum Particularium species, exaltationes, potestates, & latitudines inveniremus, aliam Anatomiam aggressi sumus, quæ latam provinciam prioris, certis morborum impuritatibus dispensaret. Ita enim via ascendendi ad superiora remedia opportunè demonstrabatur, & canones ostendebantur in censuris remediorum utiles. In priore Anatomia, purgantia, resolventia, diuretica, diaphoretica quæsivimus: in hac verò, febriles purgationes, resolutiones, & febrilia diuretica ac diaphoretica, studiosè indagavimus, & consonantiam proprietatum nitrosarum & sulphurearum, quæ in Vegetabilibus, Animalibus, & Mineralibus deprehenduntur, secuti, voti compotes facti sumus, idque Spagyricæ artis beneficio. Sic resolventia, colica, nephritica, podagrica, hemicranica, arthritica, inquiri debent, & mitigantia quoque ac anodyna: sic apostematum defensiva, mitigativa, sedativa, diaphoretica: sic ulcerum mundificativa, mitigativa, consolidativa: sic epilepticorum affectuum resolutiva, consumtiva, sedativa, cohibitiva, & mitigativa: sic hydropum, icteritiæ, cachexiæ resolutiva, corroborativa, constructiva, sine tædio investigare oportet. Harum proprietatum & remediorum copiosam supellectilem ubi collegerimus, tum demum censuram facere oportet, & provincias, latiores vel angustiores, singulis distribuere. Electuarium de succo rosarum, de psylio, manna, cassia, rhabarbaro, agarici infusum, sena, & diacatholicon, cum diaphœnicone, & terribili diaturbith, in purgationibus febrilibus, ne dicam colicis, podagricis, pustulosis, epilepticis, hydropicis, in quibus rarò ad censuras admittuntur, porcorum & caprarum provincias (liceat jocari in arduis negotiis) sortientur. Individuorum enim angustas egestates, & tardas providentias censoribus ostendunt. Extractiones verò helleborinæ, centaureæ, chelidoniæ, cyclaminis: adderem (si scirem vos æquiores fututos, & tempestiva pœnitentia ab erroribus citius destituros) præparationes & compositiones scammoneæ, aloes, myrrhæ, ladani & similium, non vulgares illas extractiones & præparationes intelligo, in quibus vel symptomatum pernicies (ut in extractione hellebori, in panchymagogo) etiamnum relinquitur, vel virtutes & proprietates rerum destruuntur: hujusmodi Curatores, digniores & latiores provincias obtinebunt, quia potentiorum, & multorum hostium insidiis, subita & celeri providentia occurrere possunt, civesque suæ tutelæ subjectos, benignè refocillare, symptomatum clade unà mitigata. *Ex Mineralium familia nonnulla si*

præ-

præparentur, & ad altiores ac innoxios ordines ducantur, Regum provincias occupabunt, & Semimonarchæ, in purgandis impuritatibus, non solùm febrilibus, sed & aliorum plurimorum morborum, evadent. Eodem pacto ordinare oportet purgantia, podagrica, hydropica, leprosa vel pustulosa, & epileptica: mitigativa quoque, diaphoretica, diuretica, anodyna, confortativa, & similia remediorum genera.

Ita enim Particulares curationes, legitimas, Universalibus similes, debitè instituems, Sanationum modos, & remediorum classes breviter nunc exposuimus: reliquum est, in exemplis quorundam morborum exercitari, & curationum leges, ac remediorum applicationes, paucis illustrare. Nec particulares curationum Methodos in omnibus morbis discribere necessum est. *Qui in paucis exercitatus fuerit, si remediorum præparationes non neglexerit, & ea quæ à nobis hoc Capitulo declarata sunt, prope didicerit, aliorum quoque leges & tractandi rationes non ignorabit.* Etenim, ubi in remediorum præparationibus progressus fecerit, & altiores ordines invenerit, ab Indicationum multitudine assiduè explicatur, relictaque paulatim Particularitate, & tædiosa Singularitate, ad Universaliores & faciliores curationes accedet. Quibus igitur Indicationibus febrium curationi satisfaciemus? Si simplices fuerint, incomitatæ, in primis Anatomiis, ut ventriculi, intestinorum, mesenterii fundatæ, sæpe suffecit sola purgatio febrilis, bis terve repetita, ratione Tincturæ & gradus impuritatis. Si verò altiores radices egerint, vel in Anatomiis potentioribus receptæ fuerint impuritates febriles validiores, validioribus, quoque purgationibus, resolutionibus, ablutionibus, & consumtionibus opus est, quæ non solùm superficiarias impuritates, per alvum exeuntes, tollere possint, sed etiam profundiores, per urinas, sudores, consumtiones, & insensiles transpirationes, evacuari solitas. Repetitiones, ordines, & gradus remediorum, ostendunt impuritatum Tincturæ, facilè vel difficulter tractabiles: mineræ quoque, & loca impuritatum, sive in potentioribus Elementis & Principiis partium humani corporis, sive in debilioribus contineantur. Et vicissim, remediorum ordines, exaltationes & gradus, morborum Elementa, gradus, & impuritatum classes, sine fallacia demonstrabunt. Rursus, si comites habuerint vel dolores, vel vigilias, vel immoderatos calores, sitim inexhaustam, anodyna & somnifera accersemus: venæ quoque sectione interdum utemur. Quòd si Anodyna mundificativa, Diaphoretica confortativa, & similia remedia diversis facultatibus insignita, habere possumus (sunt certè in potestate Naturæ) febrium & apo-

stematum

stematum perniciosos comites, una cum radicibus, tutò & subitò utique tolleremus. *In hydrope & similibus morbis, in quibus resolutiones, & fructus impuritatum copiosi, in corporibus & cavitatibus continentur, primum evacuatio impuritatum instituenda est, purgationibus hydropicis, per alvum, urinas, sudores, interdum chyrurgiæ ministerio:* deinde ad radicum & impuritatum hydropicarum resolutiones, consumtiones, & ablationes accedendum. Hisce Indicationibus satisfacient proprietates illæ, quas diximus resolvere & consumere hydropicas Tincturas. Ex Mineralium familia tales utplurimum petuntur, propter gradum, mineram, & exaltationem morbi; & sine præparatione exhiberi non possunt. Sequitur confortatio, & Balsami innati consolidatio. Quæ exterius adhibentur, fomentationes, cataplasmata, unctiones, prædictis Indicationibus inserviunt. *Podagricorum affectus, si leviores fuerint,* neque radices & fontes habuerint in sanguine, carnibus, vel synovia aliarum partium (quod paroxysmorum signaturis, insultu, & remediorum idoneorum usu discernitur) *resolventibus, mitigantibus, & corroborantibus sanabimus.* Ostendimus enim podagricos morbos, ex Tincturis & spiritibus salium acutissimis, pontagiosis, vel amara & penetrabili austeritate insignitis, originem suam habere: differentias quoque podagræ, ex horum spirituum diversis proprietatibus, mixtionibus inter se, & cum spiritibus sulphureis ac mercurialibus, rectè desumi, ex quibus dolorum diversitates (ut saporum in lingua, & affectionum saporibus snpervenientium) calorum, colorum, inflationum, & omnium symptomatum, dependent. Quia igitur in omnibus speciebus podagræ, Tincturæ salium duras & siccas coagulationes moliantur, quamvis ex resolutione suarum radicum astrum receperint, & ad effervescentias ascenderint, resolvi utique debent, humectari, & sudore, madore, vel insensili transpiratione discuti: ita tamen, ut mitigatis unà doloribus, caloribus, & dolorosis omnibus symptomatibus, violenta fluxionum attractione sopita, requies Naturæ concedatur, & corroborata synovia viciniſque partibus, tam inimicos hospites in posterum non facilè admittat. *Tria verò hæc, Resolventia, Mitigantia, & Corroborantia, mixtionem admittunt, & uno eodemque Balsamo absolvi possunt.* Talia unguenta, præparata scilicet & exaltata, podagrica sunt, & incipientes podagras vel leviores, radicitus sæpe sustulerunt: in confirmatis vero & difficilioribus, symptomatum & dolorum immanes cruciatus mirabiliter mitigarunt. Hæ *podagræ, confirmatæ* scilicet, quæ radices difficulter resolubiles vel in sanguine, vel in carnibus, vel in ipsa synovia posuerunt, *non solis externis Balsamis resolventibus, mitigantibus,*

tibus,

tibus, & corroborantibus curari possunt: plures requiruntur copiæ, potentiores legiones, priusquam tam obstinati hostis castra expugnari possint. Itaque purgationes podagricas adjungemus, mundificantia, diaphoretica, diuretica, per madores, insensiles transpirationes, consumtiones & perfectas ablationes evacuantia, podagrica tamen & consentanea accersemus. Hujusmodi sive ex Vegetabilium, sive ex Animalium, sive ex Mineralium œconomia advocentur, præparationes & virtutum exaltationes requirunt.

Radices enim podagricæ, in Anatomia humana, longa circulatione & digestione, ad exaltationes & extremitates, potestatum fixarumque Tincturarum authores, pervenerunt, nec crudis ac indigestis medicamentorum spiritibus obtemperare volunt. Frustra ministeria pilularum aggregativarum, fœtidarum, ex hermodactilis, etiam cum radicibus hellebori, trochiscis Alhandal iracundiora reddita, advocantur: frustra innoxia intestina clysteribus acutissimis, suppositoriis, & mille tormentis fatigantur. Dico vobis, si debiliora à fortioribus attrahuntur, radices & Tincturas podagricas, ubicunque castra collocarint in corpore, universa acumina & venena pilularum, una cum leniorum societate citius attracturas, devoraturas, & consumturas, quàm minimum Centurionem, pilularum attractione, sibi eripi permittant. Quis corporeos spiritus, spiritualibus Tincturis rectè unquam opposuit? *In vanum surrexerunt Gygantes adversus Iovem. Rectius Pygmei cum gruibus certamina instituunt.* Elementum illud mucosum, intestinis & ventriculo necessarium, ad separationem, resolutionem, & quotidianam excrementorum expulsionem, stercora humana & mucilagines stercoribus vicinas, similaque Elementa & excrementa aliarum partium pilulæ attrahent, & copiosa sæpe dejectione, nigra, cærulea, flava, viridi, alba, rubea, (qualia pigmenta interdum in intestinis & corpore latent, frequentius verò in potestate hellebori, scammoneæ, aloes, rhabarbari, cassiæ, continentur) Medicorum fatuitatibus patrocinabuntur: qui non necessaria, & indecora officia subeuntes, fœtores, & turpes inspectiones admittunt, ut aliquo tamen miraculo, inscitiæ, & avaritiæ infames exprobationes devitent. Consultius agerent, si carbonum nigredines, & argillæ fastidia, interdum sustinerent. *Cognitis enim remediorum præparationibus, ab excrementorum inspectione confestim exciperentur.*

Etenim remediorum fideli & salubi potestati, securius universa negotia committerent, locorum scilicet explorationes, morborum gradus, & debitas curationes. *Neque eorum laudamus temeritates, qui phantasticis & imperfectis Præparationibus, Vitrificationibus, Sublimationibus, & nescio quibus Præcipitationibus utentes, periculosas*

culosas purgationes, vel resolutiones morborum administrant. Virium dejectiones & symptomata, venenatarum proprietatum etiamnum relictarum testimonia, perpetuò fugienda sunt. Licet mitigantibus, validissimarum impuritatum resolutiones, ablutiones, destructiones, & consumtiones perficere. Interdum quoque in vehementissimis podagris, ubi dolorum comites vigiliæ, viriumque resolutiones adfuerint, *Anodyna intrinseca administrabimus, quæ tamen podagricis appropriata sint.* Quod consilium, in omnium morborum curationibus locum habet. *Epilepsiæ, & similes morbi,* qui paroxysmorum vel symptomatum vehementia & pernicie infames sunt, *duplices habent Indicationes particulares.* Quædam enim *paroxismos præcipuè respiciunt: quædam verò radices ipsas. Sedatio spirituum* effervescentium; *constrictio, mitigatio, ligatio, &c. paroxysmos præcipuè respiciunt: resolutio autem Tincturæ epilepticæ, consumtio, ablatio, ipsas radices.* Et hæ quoque Indicationes, faciles admittunt mixtiones, ac uno eodemque remedio omnia absolvi possunt. *Vlcera, pustulæ, pruritus, mundificationes primum* requirunt, vel externas, vel internas, vel utrasque: *deinde confortationes & consolidationes: in nonnullis mitigationes* quoque manifesta necessitate adjunguntur, in quibus dolorum carnificina ægrotum fatigat. Ita Curationum leges rectè instituuntur, Indicationes in Naturæ proprietatibus fundatæ, debite adhibentur, & omnibus ægrotorum querelis fideli celeritate occurritur, Oraculum quoque Hippocratis inviolatum custoditur, dicentis, *Contraria contrariorum esse remedia, ablatione videlicet impuritatum morbosarum, viriumque & Balsami innati refectione,* non calefactione, refrigeratione, humectatione, exiccatione: non absterſione, incisione, attenuatione, & similibus Relollaceis, mortuis, & externis qualitatum impressionibus, in quibus non sunt Δυνάμεις Hippocraticæ vel Chærioniæ PARACELSI. Ita enim ipse Hippocrates exposuit Medicinæ officium, libro De flatibus, ubi inquit: *Fames morbus est. Quicquid enim hominem molestat, confestim morbi appellationem meretur:* Pharmacum verò hujus morbi est, quicquid famem sedat: talia autem sunt alimenta. Alimentis idcirco hic morbus sanandus. Sic *alimenta, Hippocrati remedia existunt. Habent enim proprietates & Tincturas seminales, ex quibus defectus ac debilitates innati Balsami restaurantur,* & officia illa Universalis curationis, quæ diximus præcipua esse maximeque optanda, absolvunt. Rursus, sitim potus sanat. Antea verò diximus, sitim cum liquore desiderato, vel cum potu, idem esse, sicut nutrimentum, cum eo quod nutriturum est. Quare cum dicit PARACELSUS, Similia Similibus curari, non insanit, non stultè loquitur, sed rectè sentit, & Philosophicè pronunciat: non adversatur Hippocrati asseveranti, famen cibo, sitim potu, repletionem evacuatione, inanitionem refe-

refectione, laborem quiete, quietem labore, &c, curari, & in universum, Contraria Contrariorum esse remedia, Medicinamque nihil aliud esse, nisi appositionem eorum quæ desiderantur, ablationemque eorum quæ redundant: sed Galeno manifeste adversatur, qui Contrarietatem Hippocraticam ad nudas illas qualitates, ab Hippocrate libro De antiqua Medicina damnatas, præcipuè accommodat: primas enim & præcipuas Curationum Ideas, ad refrigerationes, calefactiones, humectationes, exiccationes, harumque complicationes, refert. Quem secuti Arabes, & hodierni Medici, pro Curatoribus Calefactores & Balneatores evaserunt. Ipsa facilitas harum Indicationum suspicionem erroris inducit. Longè aliud est auferre morbum, desiderium morbi vel symptomatis lenire, mitigare, quàm hostili contrarietate, calida refrigerare, humida exiccare, &c. *Non enim filiis esurientibus & panem petentibus, scorpionem porrigimus, neque sitientibus acetum felle inquinatum offerimus, sed consentaneos, similes, eosdem liquores exhibemus*: similia alimenta, ex eadem familia & Anatomia, adducentes, desideratam quietem confestim naturæ restituimus. Similiter, sitim febricitantium, non syrupus rosaceus, acetosus, ex acetositate citri, non ptysana, non vinum, non cerevisia sedat: non si aquam frigidam ad repletionem usque ventriculi hauserit æger, propterea à sitis tormento explicatur. *Spiritus enim sitientes, liquores altiores desiderant, similes ex eadem familia, æquè maturos, exaltatos, & ad extremitates ductos.* Talium liquorum, vel spirituum guttas aliquot si obtuleris, confestim sitim levabis, spirituumque sitientium siccas coagulationes, benigna, simili, & consentanea humectatione resolves. Ita dolores, vigiliæ, & calores sanantur. Fiunt enim ex spiritibus sitientibus, & consentaneos ac similes liquores requirentibus, quos posteaquam obtinuerint, mitigata ferocia resolvuntur, & prædestinationibus confectis evanescunt, vel per sudores, vel vomitiones, vel urinas, vel insensiles transpirationes. *Proinde similia dicuntur morborum remedia, quia ex eadem Anatomia Naturæ ducuntur, quia signaturas, proprietates & radices similes continent: contraria verò quia defectus & desideria resarciunt, quia amica saturitate, spiritus & impuritates consentaneas* delinientes, resolutiones, consumtiones, & tacitas ablationes moliuntur. Et in Anatomia Naturæ, hæ locutiones, quamvis specie dissimiles repugnare videantur, admittuntur: *Contraria Contrariorum sunt remedia, & Similia Similium.* Galenus verò, nominum errore & angusta egestate deceptus, Indicationes medendi Hippocraticas, injusta metamorphosi ad calefactiones ac refrigerationes retraxit. Quid illi in mentem venit, si librum Hippocratis De antiqua Medicina perlegit, ubi ex professo contra eos disputat, qui novas hypotheses & Indicationes, in

in curationibus proposuerunt, qui calefactiones, refrigerationes, humectationes, exiccationes, morborum causas & curationes esse dixerunt: demonstrans, nec generationes, nec curationes morborum, illis qualitatibus rectè attribui, neque reperiri quippiam in Natura, quod per se, vel sine Potestatum admixtione, calidum sit, vel frigidum, humidum, siccum, & qui frigido morbo laborat, juxta illos qui novas hypotheses introduxerunt, calido remedio curari debere: sed quali calore? alii enim sunt salsi, alii amari, alii austeri, alii acres, alii acerbi, alii aliis potestatibus insigniti: itaque delirare eos in suis Methodis phantasticis & effictis. Ibidem asseverat, *homines ob calorem non febricitare, neque solum calorem esse causam febris, sed quia idem sit amarum & calidum, acutum, acre & calidum, salsum & calidum, & quia alia facultates infinita, calori permixta sint*: ab una enim radice, semine, impuritate, fluunt signaturæ colorum, saporum, odorum, figurarum, coagulationum, & similium: quemadmodum sæpe antea exposuimus. Eodem pacto frigidum aliis potestatibus conjungitur. Itaque in morbis, *Potestates, quia radicum proprietates magis referunt, symptomatum esse authores: salsum, amarum, acre, acutum austerum, Potestates habere, dolores inferre, concurrere vero calores, siccitates, frigiditates, humiditates, acuentes & augentes Potestatum effectiones, Potestatum tamen nullam, radicali proprietate & scientia insignitam, possidere*. Copiose deinceps Demonstratione, ex curandi ratione, morborum generatione, aliisque indiciis desumta, Galenica Theoremata intemperie laborantia, ipse Hippocrates, prædicto loco confundit. Et miror Galenum, libellum illum, ad familiam adulterinorum, supposititiorum, non relegasse, posteaquam tam manifestè, quasi ex diametro, cum tota ipsius Medicina pugnet: id quod clarius in Paraphrasi super eundem librum Hippocratis, patefecimus. In leniendis doloribus & caloribus unum habent commune remedium cum veris Medicis, venæ scilicet sectionem, quo si destituerentur, planè deplorati essent. Sed neque in omnibus doloribus vel caloribus locum habet. Et interdum noxia optimi sanguinis jactura, calores tolluntur, qui tempestivioribus remediis felicius obtemperarent, sine injuria & dispendio aliarum partium. Indicationum quoque multitudine obruuntur. A causis enim Andecedentibus, Coninentibus, ab ipsis morbis, & interdum symptomatis Indicationes consentientes, repugnantes, præcedentes, consequentes, & mirabili subtilitate cohærentes, deducunt. Stupent ægroti tam duri certaminis eventum, si Procemiorum difficiles ostentationes futurorum præsagia firma demonstrant. Ita urgentiori, periculosiori symptomati, morbo, affectui, causæ, confestim occurrunt, quamvis aliorum dispositionibus noceant. Ita mitigantur dolores, augentur morbi

morbi morborumque causæ, auferuntur causæ, neglectis ad præsens viribus. Si vero sanationes legitimas Indicationes in Naturæ proprietatibus fundatas, remediorumque Præparationes addiscere vellent, has confusiones, contrarietates, absurdas ordinationes, & periculosas obliviones, facilè evitarent. Sunt enim mitigantia, anodyna, somnifera, radicibus vel causis Antecedentibus, Continentibus morbis, consentanea: quæ mitigando mundificant, purgant, resolvunt, consumunt, & quæ resolvendo ac mundificando corroborant, mitigant, calores & dolores sentiunt. Rursus, in omnium morborum curationibus, qui cum materia conjunguntur, concoctiones, viarum præparationes, attenuationes, incisiones, lenes evacuationes, syrupis, decoctionibus, confectionibus, & fomentis moliuntur, & concocta solùm medicanda esse, nisi turgeant, ex Hippocratis Decreto præcipiunt. Illud certè oraculum Hippocratis, inscitiæ & simplicitati Medicorum patrocinari cogitur. Hujus falsa interpretatione, auxilium quod Naturæ à Medico debebatur dolosum evasit. Destituta Natura, sola certaminis discrimen sustinet: si labascit victa, superbo decreto, deplorata pronuntiatur. Si verò victoriæ signa & salutis profert, Metii illi Suffetii, infidi auxiliatores, caudas verrunt, cristas erigunt, se eventuum felicitatem prævidisse, & opportuna Electuariorum & Pilularum tempora expectasse. Næ illi Hippocrati injuriam faciunt. Primùm enim, concoctiones sive maturationes, Indicationes sunt curativæ apud Hippocratem. Et modi sanationum morbique reperiuntur, qui concoctione & maturatione sanari volunt. Proinde, si jussit concoctionem morbi expectandam esse, antequam pharmaca purgantia exhibeantur, non concessit ferias Medicis, neque Justitiam indixit, sed alias leges curandi proposuit. Dicent, se syrupis & decoctis concoctiones moliri. Id certè non continget syrupis incidentibus, attenuantibus, aperientibus, oxymelliticis, scylliticis radicum, & similibus. Quæ enim maturanda sunt, intus claudere oportet, incrassare & temperare. Syrupo quidem rosaceo, violaceo, cappillorum veneris, liquiritiæ, in levioribus quibusdam morbis, catarrhosis scilicet, vel superficialiter ventriculo aliisve partibus inhærentibus, concoctiones, mitigationes, contemperationes absolvent: at verò in talibus morbis, curationes maturativæ non requiruntur. Licet confestim purgantia vel resolventia exhibere: impuritates enim superficiariæ sunt, & facilè mobiles. Quid sit concoctio apud Hippocratem, & qua ratione absolvatur, ipse exposuit, in libro de antiqua Medicina, inquiens: τὸ πεφθῆναι γίνεται ἐκ τοῦ μιχθῆναι κρηθῆναι καὶ ἀλλήλοισι συνεψηθῆναι: id est, *Concoctiones perficiuntur ex mixtione, contemperatione, & mutua permixtarum rerum digestione.*

 Ita

Ita enim poteſtatum acrimoniæ mitigantur, extremitates & exaltationes contemperantur, dolores, calores, & univerſa ſymptomata leniuntur. Æquipollent igitur hæ Indicationes curativæ, per Mitigativa apud PARACELSUM, curare per Concoctiones apud Hippocratem, per Epicraſin apud Galenum. Neque in omnium morborum curationibus neceſſaria ſunt. Antea diximus, in morbis qui conſtant ex impuritatibus mobilibus, ſuperficiariis, qui non egerunt fixas radices, quales ſunt febres plurimæ, catarrhi, tuſſes, raucedines, & ſimiles affectus, non opus eſſe hiſce Indicationibus. Tutò tolluntur, & ſubitò, purgantium vel mundificantium ope. Rurſus, *vehementiores & periculoſiores affectus, ut febres nonnullæ & apoſtemata, in quibus impuritatum reſolutiones mobiles ſunt, facilè obtemperantes, neque ad difficiles coagulationes deſtinatæ, quod ex dolorum ſignaturis & ſymptomatum inconſtantibus & turgidis effervеſcentiis deprehenditur, etiam in principiis purgationes admittunt*, quarum efficientia ſæpe ſublatis morborum fervidis & mobilibus impuritatibus, concoctionis officia ſupervacanea poſtea relinquuntur. At verò *impuritates febriculoſæ & inſtammatoriæ, quæ Tincturas habent difficiliores, quarum reſolutiones & vapores, coagulationes admittunt fixas, difficulter reſolubiles* (tales in ſuſpectis partibus & conſentaneis mineris perpetuò recipiuntur) *per Epicraſin, Concoctionem, vel Mitigationem tutiſſimè curantur.* Non enim obtemperant facultatibus crudis purgantium medicamentorum communium, quæ corporeis & crudis ſpiritibus agunt, quæ ſpirituum morboſarum effervеſcentias exaſperant. Poſteaquam verò ſpirituum fervores ceſſaverint, reſolutaque materia coagulationem conſentaneam acceperit, quia vinculis ſpirituum deſtituitur, faciles admittit purgationes. In morbis chronicis, ut epilepſiis, quartanis, colicis, podagris, in hyprope, & leproſis affectibus, impuritates radicales, reſolutione, non concoctione, propriè & primò curantur: fructus verò, paroxyſmi, & fructuum effervеſcentiæ, in nonnullis ſpeciebus prædictorum morborum, concoctionum & contemperationum Indicationes recipiunt. *Fruſtra concoctionum ſigna in epilepſia, podagra, lepra, in quartana, colica, nephritide, in omnibus affectibus tartareis expectantur.* Reſolutione confeſtim inſtituenda eſt curatio, conſumtione, deſtructione, ablatione. Si mitigatio confluxerit, felicius propoſitum aſſequemur. Hoc quoque adjicimus, *non omnia curationum Myſteria, Indicationum compendia, remediorum Arcana, ab Hippocrate deſcripta eſſe, & potuit quædam ignoraſſe. Secula certe proficiunt. Iniquum proinde eſſet, in omnibus ipſum imitari.* Paucas remediorum facultates expoſuit. Curandi rationes mirabiles, quibus hoc ſeculo uti non licet, multis in locis demonſtravit. De remediorum Præparationibus, exaltationibus, Indicationum compoſitionibus, in quibus univerſa

versa Medicina fundatur, nihil ab illo proditum est. Principia nihilominus Medicinæ, Naturæ legibus consentanea, nobis etiam communia demonstravit. Feliciori seculo, novorum morborum difficillimis resolutionibus non inquinato vixit: nobis & Nepotibus nostris, aliorum remediorum inquisitiones, sine invidia reliquit. Hanc admonitionem necessariam hoc loco adjunxi, ne aliorum observationes, præcepta, vigiliæ, & commentationes, posteris socordiæ occasionem in posterum præberent. Non excusamur in Curatione epilepsiæ, quæ post annum vigesimum quintum adultos adoritur, ob Decretum Hippocratis dicentis, *Epilepsias quæ post vigesimum quintum annum adveniunt sanationem non admittere, sed ad mortem comitari.* Idem de similibus est judicium. Nec plura hoc tempore de Indicationum & curationum ordinibus, facultatibus, mixtionibus, censuris, adducere licet. De permixtorum morborum curationibus & temporibus, in quibus opportunè administrantur remedia, idque præcipuè in chronicis morbis, qui per circuitus repetunt, alibi tempestivius agemus. Fontium derivationes, liberales & humanæ existunt, Dominii verò jura & libertates ubique concessæ. Itaque contemplationem de curatione morborum hac formula claudentes, dicemus:

Sanationes omnium morborum duplices esse, universales & particulares: In universali & perfecta, uno eodemque remedio absolvi resolutiones impuritatum morbosarum, purgationes, consumptiones vel ablationes, & restaurationes, mitigationes, corroborationes innati Balsami. Particulares verò curationes, quæ veræ & legitimæ existunt, pluribus indicationibus, & diversis remediorum proprietatibus, actiones tamen, & conditiones universalis curationis, quoad fieri potest, imitantibus, absolvi. Indicationes curativas veras, in proprietatibus vegetabilium, mineralium, & animalium fundari, facilesque mixtiones in debitis præparationibus admittere. Universalium curationum officia ex particularibus indicationibus remediisque in morbis non consummatis, & extremis, sæpe adimpleri, esseque gradus particularium remediorum, superiores & inferiores, calefactiones, refrigerationes, humectationes, exiccationes, phantasticas indicationes ostendere, & proprietatibus naturæ radicalibus Scientiæ & potestatis dispensatoribus, carere.

CA-

CAPUT XV.

De Remediorum Differentiis, Proprietatibus, Compositionibus & Præparationibus.

Remediorum *Naturæ morborum medicatrices sunt*. Morbi enim de quibus hoc loco præcipuè loquimur, occultas habent Generationes, in silentio Naturæ abditas, neq; sensibus humanis accedere licet ad invisibiles lithurgias & Mechanicas morborum. Altiores *oculos* adhibere oportet, *copiosa proprietatum animadversione illuminatos. Ita invisibilia videntur, occulta manifestantur, dubia explicantur, & difficilia perficiuntur.* Quocirca, relictis externis Sensuum subtilitatibus, & corporeis ac superficiariis actionibus, internas & constantes rerum proprietates scrutemur, si occultas morborum provincias accedere velimus. Hisce comitibus, ducibus & nuntiis, occultas morborum radices, inveniemus, & inventas placidè auferemus. At verò *alii morbi, qui externarum causarum violentiis infliguntur*, ut luxationes, contusiones, vulnera, fractiones, calefactiones, refrigerationes, exiccationes, humectationes, lassitudines, inanitiones, repletiones, vigilia, sitis, fames (hæc enim omnia hominem molestant, & ablationem postulant) quia generationes habent sensibiles, *Indicationes quoque manifestas demonstrant, & remedia, sensuum analogismis subjecta requirunt*, nisi occulta symptomata accedant, ut in ustione, vulneribus, refrigeratione, & cœteris omnibus externis læsionibus sæpenumero contingit. Hæc enim, quia occultiora sunt, Indicationes manifestas non admittunt, sed proprietates postulant, & arcanas Naturæ Potestates. Qui penetrabili extremoque frigore affligitur, Indicatione facili & aperta, calefactionem desiderat, qua nacta, subitò restituitur. Si verò *symptoma supervenerit, destructa innata Mumia vel radicali humore extremarum vel aliarum partium, resolutisque sæpe infectis salium spiritibus, huic calefactiones, fomentationes, & similes machinationes, sensuum analogismis inventæ, non sufficiunt:* artificiosioribus Indicationibus, & proprietatibus, non ita publicis, opus est. Symptomata enim refrigeratorum, leprosas pestes imitantur. Similiter, qui Solis ardore vehementer incalescit, communi animi notione, refrigerationem requirit, quæ tempestivè oblata (subitæ enim mutationes periculosæ sunt) reficitur. Interdum quoque leviora symptomata accedentia, ut ephemeræ febres, iisdem remediis obtemperant.

perant. Si verò perniciosiora & difficiliora symptomata confluxerint, vel seminibus morborum latitantibus antea in corpore excitatis, vel una cum calore ex resolutionibus astrorum arsenicalium infecto introductis, vel innati Balsami destructione, refrigerationum Indicationes silebunt, & omnes sensuum subtilitates obstupescent, mirabunturque ex tam levibus occasionibus, tantas calamitates supervenisse. Etenim febres petechiosæ, prunellæ, pleuritides, carbunculi, anthraces, Persici ignes, maniæ, melancholiæ, vehementium calefactionum comites sæpe fuerunt. In his symptomatibus vel morbis (utriusque enim nominis privilegia adsunt) Indicationes corroborativæ, sedativæ, mitigativæ, anodynæ, consumtivæ, mundificativæ, & similes, locum habent, quæ proprietatibus Naturæ internis, vitalibus, perfectis, præparatis & exaltatis, absolvuntur. Rursus, *vulnera simplicia & solitaria, communibus remediis, vulgariter notis, facile sanantur*, deligatione, larido, telis aranearum, albumine ovorum conquassato, ablutione urinæ, aqua salsa, & mille hujusmodi mediis, quamvis omnia non approbem: herbis quoque vulgaribus vulnerariis, butyro, melle, cera, terebynthina exceptis: commodius & citius, si potiones & emplastra ex iisdem simplicibus, & similibus, adjungantur. At verò, si vulnera comitata fuerint: si symptomata surrexerint, ardores, inflationes, dolores, fœtores: si ulcerum signaturæ apparuerint, vel aliorum morborum, ut tabes, epilepsiæ, febris, spasmi, &c. sive telis vel instrumentis hostilibus veneno infectis, sive morbosis impuritatibus in corpore latentibus, excitatis: non sufficient ad curationem vulnerum remedia: Indicationes novas, symptomatibus præsentibus consentaneas, & proprietates Naturæ potentiores, mitigantes, mundificantes, consumentes, corroborantes, consolidantes, advocare oportet, sive in externis solum remediis contineantur, sive internis præsenti necessitate conjungantur. In vulneribus solitariis, conservationis, mundificationis, & consolidationis officia absolvebantur, butyro, melle, larido, cæra, sevo & pinguedine animalium, vel solis, vel permixtis, & herbarum virtute exaltatis. In comitatis verò, in quibus accidentia supervenerunt, ad mundificationem, mitigationem, corroborationem, conservationem, resolutionem, consumtionem, &c. requiruntur potentiorum Vegetabilium proprietates: pro butyro, bdellium, sagapenum, galbanum, oponacum: interdum Salia, Olea, Mercurii Mineralium & Metallorum. Admittuntur quoque consolidæ & serpentinæ, sed præparatæ, exaltatæ, & in Balsamum conversæ. Rursus, lassitudines ex laboribus, exercitiis, aliisque causis evidentibus profectæ, sola quiete, balneo, cibis, & somno restituuntur: si symptomata accesserint, difficiliores habent

bent ſanationes. Eadem eſt vigiliarum, ſitis & famis, ac ſimilium læſionum ratio. Si quis uſu horariorum fructuum, ut melonum, peponum, cucumerum, piſcium ſemiputridorum, carnium, ovorum, & ſimilium alimentorum, impuritatibus repleatur febrilibus, ob fruſtratam ſeparationem & expulſionem, levi occaſione febricitat. Tales febres, confeſtim purgatione tolluntur. Hic triumphant, manna, caſſia, rhabarbarum, ſena, polypodium, diaphœnicon, diacatholicon, electuarium de ſucco roſarum depſyllio, &c. At vero ſi ſymptomata ſupervenerint, altioribus impuritatibus, antea in corpore latentibus ex repletione & intemperata vivendi ratione, excitatis: in his Indicationes purgandi, reſolvendi, abluendi, & conſumendi impuritates, non perficiuntur crudis illis & impotentibus laxativis. Subtilioribus & potentioribus mundificantibus opus eſt. Rectè igitur *remediorum differentia, ex diverſis morborum nativitatibus, & curandi rationibus deſumuntur: ut ſint alia*, Διαιτήτικα, i. e. quæ ſolo regimine, & debita adminiſtratione rerum non naturalium, curationes perficiant: appellabimuſque hujuſmodi *remedia, Alimentaria*, quia proprietates alimentorum imitantur, & ſunt alimenta, morboſque alimentarios ſolummodo curant. *Rurſus, alia remedia, ſunt Medicinalia*, altiora & inferiora, in quibus potentiores proprietates conſpiciuntur. Hæc remedia, ſola & ſincera difficulter aſſumuntur, & ſymptomata gravia adducunt, niſi præparatione innoxia reddantur, quia vires Mechanicorum humani corporis excedunt. In morbis gravioribus adhibentur talia. Nonnulla, venenata planè ſunt, ut antimonium, mercurius, ſulphur, vitriolum, Mineralia feré omnia, helleborum, tithimallus, colocynthis, ſcammonea, opium, mandragora, cicuta. Horum uſus in morbis graviſſimis neceſſarius eſt, ſi debiliora à potentioribus tranſplantari debent. Sine præparatione hujuſmodi nullo pacto adhiberi debent. Fruſtra, lacte & cytoniis nutriuntur; fruſtra odoratis & cordialibus amica redduntur. Quod ſi crudis his uti velimus, magna præcautione opus eſt. Vires ægrotantis, ætas, habitus, morbus, conſuetudo, & hujuſmodi circumſtantiæ convocandæ ſunt: ex harum collatione decernendum, an admittendus ſit uſus illorum, vel relinquendus. Neque excuſamur ab uſu horum remediorum, repetito uſu leviorum. Differunt non ſolùm actionum vehementia, & gradibus, ſed etiam cœteris proprietatibus, in quibus Indicationes & ſanationes morborum fundantur. Quotidianus uſus foliorum ſenæ, rhabarbari, agarici, polypodii, caſſiæ, mannæ, electuarii de ſucco roſarum, depſyllio, diacitonites, diatarbith, impuritates illas non reſolvent,

con-

consument, vel mundificabunt, quas unica exhibitio antimonii vitrificati, mercurii præcipitati, non vulgariter tamen vitrioli crudi vel colcotharini, tartari, & similium, magna ægroti anxietate, viriumque consternatione auferet. Spiritus horum remediorum in ventriculo resoluti, in vapores conversi, potentius penetrant, minerales corporis impuritates non solùm vegetabiles, resolvunt, consumunt, in vapores convertunt, ad effervescentias excitant, ægroto molestias allaturas. Impuritatibus his resolutis, in vapores, & spiritus aquosos conversis, impetus apparent, ad Monoculum, ad gulam, ad vitalia Elementa cordis & cerebri, unde palpitationes cordis, deliquia animi, vertigines, sæpe convulsiones perniciem promittentes, proficisci solent. Inanitis verò, consumtis, & ablatis tam difficilibus impuritatibus, ex insperato, sanitas restituitur, actionum & facultatum potentiore robore insignita. In quibusdam corporibus, in quibus hostiles impuritates non inveniuntur, vel leviores, scilicet non Minerales, tanta symptomata, ex usu prædictorum remediorum non suscitantur. Quinetiam, unus idemque homo, interdum lenes & faciles purgationes, ex usu vehementissimorum remediorum, interdum verò difficiles, & symptomatum comitatu graves, experitur, quod iisdem impuritatibus hostilibus & inimicis non perpetuò inquinetur. Hæc tria remediorum genera, proprietates similes continent: sed robore, & agendi potestate differentes. *Sunt enim Alimentaria remedia, quæ purgant*, manna, cassia, pruna, olera ferè omnia, locustæ vel prima germina plurimarum herbarum & fructuum.

Sunt Diuretica, ut vinum oligophorum, vinum anacardorum, asparagorum & lupulorum decocta vel acetaria, & similia. *Sunt Diaphoretica*, ut aromatica & odorata nonnulla. *Sunt menstruis appropriata*, quæ non solùm sanguinem menstruum movent, sed etiam clarificant, confortant, consolidant, mundificant. *Sunt Somnifera*, ut lactucæ, papaveris semina: sunt *Sedantia & Reprimentia. Mitigantia, corroborantia, comtemperantia, concoquentia, in hoc ordine solùm reperiuntur.*

Remedia enim Medicamentosa, & Venenata, symptomata, dolores, calores, saliumque exasperationes proferre solent. In secundo remediorum genere, proprietates purgantes, resolventes, mundificantes, diureticæ, diaphoreticæ, constringentes, attrahentes, sistentes, anodynæ, somniferæ, prioribus similes reperiuntur, sed validiores, in quibus spirituum coagulationes, calores, sapores, odores, Mechanicis Vulcanis, vel Archæis humanæ Anatomiæ, difficulter obtemperant. Necessarius est usus horum remediorum.

diorum. Impuritates enim, quæ validiores radices posuerunt, *Alimentariis* remediis non cedunt. Venenata quoque, eadem necessitate, in curationibus sæpe advocantur, vigiliis & doloribus opiata postulantibus, morborumque fixis radicibus, purgationes antimoniales, vitriolatas, mercuriales requirentibus. Hæ necessitates, Compositionum, & Præparationum leges introduxerunt: de quibus mox dicemus, absoluta proprietatum explicatione. *Itaque remediorum proprietates à nobis enumeratæ, adhuc confusæ sunt, innumerabiles, non satis explicatæ, ad propinquiores classes curationi oportuniores revocandæ.* Neque enim omnes facultates purgantes omnibus morbis purgatione opus habentibus, æque conveniunt. Impuritatum differentia, locorum diversitates, distributiones specificas monstrabunt, proprietatum confluentiis experientias moderante. Quamvis plurimi fortuita experientia, sine aliis adminiculis vel gubernatoribus specificas purgationes, consolidationes, resolutiones, mitigationes, sedationes, specifica, diuretica, diaphoretica, menstrua, anodyna, id est, pleuritica, prunellosa, febriculosa, ictéritia, hydropica, colica, podagrica, epileptica, paralytica, hysterica, hepatica, stomachica, cephalica, cardiaca, &c. invenerint, interdum ab iis inventa didicerint. Apud Nobiles, Rusticos, Plebejos, hujusmodi remedia plura inveniuntur, quàm apud Galenicos Doctores, qui caliditatum & frigiditatum superbis ac temerariis censuris, experientiæ laboriosas sedulitates, injustè exagitant. Hippocrates certè, ex caliditatum & frigiditatum analogismis, remedia non est mutuatus, sed ab experientia, vel sua, vel aliorum. Ipse quoque Galenus vix unum medicamentnm specificum & legitimum monstrabit ab Empiricis non acceptum utcunque fœcunda complexionum & graduum Methodo in compositionibus medicamentorum, secundum Genera & Loca triumphet. *Hisce remediis abundavit Bartholomæus ille Charicterius*, qui multas Simplicium facultates, salutares & appropriatas, longo medendi usu invenit: nec dubito quin plurimas ab aliis inventas acceperit. Causas quoque & Principia proprietatum adjungere conatus est, sed quæ non satis in Natura fundata sint, corruptis & integris conjuncta. Ita ad Sympathiæ, Antipathiæ, Harmoniæ leges, ad materiæ & spirituum abundantias & defectus, in herbis & Vegetabilibus, compositiones & correctiones remediorum accommodavit, & Simplicia, vino ac aqua, sine melle vel saccharo, ad tertiæ partis vel medietatis consumtionem decoxit. Pulveres quoque radicum, herbarum, & seminum, pane assato inspersos adjunxit, & continuo usu, sine intermissione, ægrotorum patienti obœdientia fretus, sanationes

tiones difficilium morborum ſæpe abſolvit, Galeniciſque documentum dedit, ut relicta otioſa Syruporum copia, in proprietatibus Simplicium inquirendis diligentiores eſſent. In iis enim Specifica & appropriata omnium morborum recipiuntur, purgationes ſcilicet hydropicæ, reſolutiones colicæ, mitigationes podagricæ, ſedationes & conſumtiones epilepticæ, diaphoretica & diuretica ſimilia. Calefactiones, refrigerationes, humectationes, exiccationes, in proprietatum medicinalium numero non recipiuntur, neque Indicationes curativas conſtituunt, quia non habent proprias radices, Scientias, & prædeſtinationes in Natura, ſed aliis proprietatibus miniſtrant, veluti colores & coagulationes. Omnino, *quæcunque remedia vehementer calefacere, refrigerare, exiccare, vel humectare videntur, proprietates habent principaliores, radici viciniores Chærionias, in quibus Scientiæ, & ſanationum prædeſtinationes vigent*. Ita attrahentia, ſiſtentia, diuretica, purgantia, diaphoretica, ſomnifera, anodyna, diſſipantia, & conſumentia, calefactiones, humectationes, refrigerationes & exiccationes adjunctas habent, tanquam umbras, & actionum miniſtras. Rurſus, *calefactiones & refrigerationes, qualitates ſunt momentaneæ, Relollaceæ & ultimæ, quæ in præparationibus & ſeparationibus virtutum à corporibus evaneſcunt.* Proprietates verò ex quibus Indicationes curativæ conſtituuntur, ſtabiles eſſe debent, Chærioniæ, vitales, potentes, quæ ſeparationem admittere poſſunt, & corporum poſtremorum, ac craſſorum conjugia relinquere, illæſis prædeſtinationibus & actionum Scientiis. Scio nonnullas caliditates conſtantiores eſſe, difficulter auferri in præparationibus, frigiditates quoque: nihilominus ſolitariæ non ſunt, ſed proprietatibus cohærent. Eſt, ubi PARACELSUS calidorum & frigidorum remediorum ordines, gradus, compoſitiones, & doſes deſcribit, ut in libro de Gradibus & Compoſitionibus: id ſolùm clarioris doctrinæ cauſa ab illo factum eſt, ut differentiam illam in remediorum proprietatibus declararet, quam nos in corporum & ſpirituum explicatione aliquoties monſtravimus: videlicet, *eſſe quædam remedia, quæ ſimplicitatem Elementorum magis imitentur: quædam rurſus, in quibus trium Principiorum proprietates manifeſtius deprehendantur: hæc Planetaria appellat, vel Specifica, illa verò Elementaria*: quamvis utraque, tam proprietatibus trium Principiorum, quàm Elementorum conditionibus ſint inſignita. Sic Philoſophico loquendi more, Corroborantia, Calefacientia appellantur, Balſamúſque natura calefacere dicitur & humectare, quamvis caliditates & humiditates morborum tollat.

Ex his apparet, in quanto errore verſentur illi, qui caliditates & frigiditates, Cauſas, Principia & fundamenta proprietatum medicinalium conſtituunt, ſaporúmque & externarum applicationum non ſatis fideles experientias, ad internas & principales remediorum facultates dijudicandas, advocant. Confortativa, ſomnifera, purgantia, reſolventia, caliditatis & frigiditatis miniſterio nunquam invenientur, neque ſi corporum univerſas coagulationes adjunxeris, tenuitates, craſſities, lentores, durities, mollities, aſperitates. Hæ enim qualitates omnes, umbræ ſunt rerum poſtremæ & inſtabiles, nec radices habent, in quibus ſeorſim, & ſinceræ demonſtrari poſſint. Aſpicite aronis radices & folia, quantam calorum poteſtatem, acri & exulcerante ſapore promittant, leni verò adhibita digeſtione, & ſaporis acrimonia, & caloris inditia tolluntur, quia ſuperficiariæ extiterunt qualitates, Radici non cohærentes. Piperis vero & Zingiberis acrimonia conſtantior eſt, quia in ſale fundatur, vel in radice ac Principio, quod ad corporum conſtitutiones concurrere oportet.

Sulphuris præparati ſapor, interdum aſtringentem aciditatem, obſcuram tamen, repræſentat: nihilominus, *diaphorerica & conſumptiva facultate* pollet: Antimonii vitrum, inſipidum plane eſt, vomitionum tamen, & purgationum ſuſpecta vehementia, infame evaſit. Chelidonia, in præparatione, mirabiles ſaporum & odorum differentias, ſæpe contrarias, oſtendit. Quid cupri pontagioſa amaritudine ingratius excogitari poteſt? nihilominus dulcedinē, etiam ſaccharo gratiorem, ex cupro, præparatione eduximus. Itaq; linguæ, & externorum ſenſibilium ac ſenſuum inanes cenſuras, iis relinquemus, qui linguæ ſapientia, & ſenſuum tam exquiſita ſubtilitate pollent: nos verò, ſtabiles & ſinceras proprietatum radices inquiremus, ex quarum certis & infallibilibus ſignaturis facultatum origines inveniemus. Tales radices non ſunt peregrinæ, ſed ſunt Principia illa ex quibus omnia corpora componuntur. *Quæcunque enim facultates cum corporibus conjugia contraxerunt, corporúmque alterationes moderantur, in Sale, Sulphure, vel Mercurio fundantur, non in Sale vel Sulphure ſimpliciter, ſed in tali Sale, in tali Sulphure, in tali Mercurio.* Ita Sulphura conſpeximus attrahentia, ut reſinoſa: repellentia quoque, ſiſtentia & continentia, ut narcotica: ita ſomnifera, anodyna, mitigantia, concoquentia, conſolidantia Sulphura inveniuntur. Rurſus, Salium reſolutiones frequenter apparent: mundificationes quoque ex quibus purgationes proficiſcuntur. *Neque enim aliud eſt Purgatio, quàm reſolutio, ablutio, vel mundificatio:* Coagula-

gulationes viciſſim & conſolidationes, à Salibus non ſunt aliæ. Diaphoretica & diuretica Salia, frequentiſſima ſunt. Mercurii confortantes, mitigantes, clarificantes, exhilarantes, conſumentes, & regenerantes, repериuntur. Horum Priucipiorum Anatomias inquirentes, facultatum cauſas inveniemus: Ignis verò Sectionem & Separationem abſolvet. Alia quoque neceſſitate Præparationum labores ſuſcipiuntur, de qua antea dixi. Quia enim ab uſu Venenatorum remediorum non excuſamur, & venenata omnia Balſamum habent humanæ Naturæ conſentaneum, impii utique eſſemus, & officiorum deſertores, niſi Separationi ſtrenuam operam navaremus, ut ablato veneno, puris & ſalutaribus Bılſamis, amicas Naturæ curationes, tutò inſtituere poſſimus. Separationem vero fieri poſſe, ſecundo Capite hujus libri demonſtravi. In aliis remediis, in quibus manifeſta venena non apparent, adſunt ut plurimum coagulationes, ſapores, odores, caliditates, frigiditates, & proprietates narcoticæ, diaphoreticæ, diuredicæ, catharticæ, reſolutoriæ, vomitivæ, quarum violentas impreſſiones, humana Natura, ſine gravi clade, ferre non poteſt. *Perfectiſſimorum* deinde *corporum Balſami, & deſideratæ Proprietates, tam duris corporum carceribus continentur, ut favorem & benevolentiam, quam humanæ Naturæ debent, demonſtrare non poſſint.* Ita corallorum, perlarum, gemmarum, auri & argenti, reliquorumque Metallorum virtutes, dolent ſe fruſtra in mundanam provinciam veniſſe, & mortalium ſceleſtam temeritatem continenter accuſant, quod tantarum prædeſtinationum immemores, ad quas Naturæ providentia deſtinabantur, in peregrinos & infames uſus, tantarum rerum majeſtatem commutaverint. Impuritatem pellis, inſcitiam mentis tegere coguntur, & doloſa avaritiæ, ſuperbiæ, luxuriæ, perfidiæ, adulterii, diſcordiæ, & mortis miniſteria ſubire. Hoc eſt in non naturalem uſum res transferre, iniquas uſuras exercere. Inventi poſtea ſunt Medici, qui aurum decoquere juſſerunt, & cum capone, ut virtutes magis conjungerentur: qui folia auri electuariis & tabulatis miſcuerunt, qui pulveres corallorum, perlarum, & gemmarum, etiam ad confortationes cerebri & cordis, magna ſimplicitate exhibuerunt. *Infelix mortalitas, inutilibus quæſtionibus & diſputationibus vitam traducemus? Naturæ præcipuos theſauros in quibus graviſſimorum verborum Medicinæ ab Altiſſimo collocatæ ſunt intactos relinquimus. Nec ipſi ſolùm relinquimus, ſed alios inquirere volentes, prohibemus, impedimus, condemnamus, irridemus, & mille ludibriis afficimus. Avorúmque fidelem veritatem, & divinam Scientiam ſtulte irridemus.*

demus. Tunc verò oculares demonstrationes postulamus, & manifestos operationum modos. Interdum minis, violentísque objurgationibus, pro majestate nostra decernimus, ut Carbonii isti Præparationes suas nobis ostendant, Aurum potabile, liquorem perlarum, dulcedinem cupri, antimonii, mercurii, essentias herbarum, specificas compositiones diaphoreticorum, diureticorum, purgantium, anodycorum & similium, Extractiones debitas lachrymarum, resinarum, gummarum, succorum, &c. quod nisi fecerint, infamiæ, invidiæ, inscitiæ, & fraudis notas iis inurimus. Næ illa ratio adiscendi nova est. *Modestam gratitudinem, submissionem, ignorantiæ confessionem, discendi cupiditatem ingenuam, non dolosam, laudabant Antiqui in discipulis.* Tales solummodo admittebant, iísque juratis & perpetua gratitudine ac fide obligatis *Præcepta dabant, multo adhuc sudore enucleanda.* Quis enim aliter sincera ingenia, ab adulterinis discernere posset? Itaque, sive voce, sive scriptis, discipulos receperunt instituendos, qui genuini & legitimi evaserunt, ab iis desideratam gratitudinem, ac sanctam fidem reportarunt, & in ævum reportabunt. Sacramentum posuerunt, se Patrum, & Præceptorum vestigia immixturos, nec ulla temeritate, servatam à Seculorum exordiis Naturæ virginitatem prophanaturos. Credite mihi, qui ad Dianæ Balnea admissi fuerunt, aliis, sive leonum, sive vulpium, sive luporum, sive canum pellibus occurrerint, sine veste Dianam nunquam monstraturos. Quod si hæc via non successit, aliam tentemus, & deposita ferocia, simplicitatis & inscitiæ salutari confessione, multaque laborum patientia onusti, Præparationum provincias aggrediemur, & immensa gratitudine eorum benevolentiam prosequemur, qui micas ex mensis Dominorum cadentes, nobis communicarunt: qui occultas solummodo agendorum rationes, & Præparationum scopos ænigmaticè insinuarunt. Hujus itineris prima diverticula, consuetarum Præparationum delicta citò demonstrabunt, delictorúmque correctiones. Decoctiones herbarum, seminum, radicum, florum, corticum, in vino & aqua, hoc nomine redarguent, quòd plurimarum & præstantissimarum virtutum dispendia contingant: quòd impuritatum non fiant separationes: quod saporum, odorum, caliditatum, frigiditatum, & similium signatutarum ingratæ impressiones relinquantur, quas frustra albumine ovorum, saccharo, melle, syrupis, & cinnamomo corrigere conantur Medici. Præparationum pia assiduitate, naturaliúmque causarum diligenti contemplatione conjuncta, compendiosores Decoctionum vias utique deprehendemus, qua-

rum

rum beneficio, servatis Simplicium virtutibus, saporumque & coagulationum ac odorum ingratitudine ablata, exigua puri liquoris quantitate (in qua tamen genuinæ Simplicium virtutes ad exaltationes, & altiores gradus deductæ, manifestè demonstrentur) Decoctionum universis intentionibus tutò & subitò satisfiat. Syruporum necessitates, scilicet, ut conserventur Simplicium vires, & dulcedine obscurentur amaritudines, inanes esse, tum demum intelligemus, ubi Salia, Olea, & Mercurios herbarum, radicum, & similium separare poterimus, non communi destillatione, ustione, viriumque destructione, sed artificiosa, Principiis, proprietatibusque uniuscujusque herbæ & radicis consentaneæ. Aliam enim separationem requirit chelidonia, diversam salvia, longe dissimilem ebenus, &c. Discrimina quoque sunt Salium, Sulphurum & Mercuriorum; neque epileptica symptomata, Sulphuribus vel Balsamis vulnerum sanari cupiunt. Conservationum diuturnitate, agendi potestate, saporum, odorum & consistentiarum amica familiaritate, Syruporum greges longe superant. Salia illa, Olea, & Mercurii. Caliditatū querelis satisfecerunt, postea quam sitim & calores febricitantium benignè mitigarunt: somnū conciliarunt, suavem roremnaturæ communicarūt. Sacchari & mellis præsentia sæpe noxia fuit. Si spiritum mellis acutissimum & venenatum, si sacchari abominabiles fœculentias conspexissent Arabes, parciores & cautiores procul dubio fuissent, in prolixa & nimis ampla Syruporum ostentatione. Electuaria purgantia, ut diacatholicon, diaphœnicon, diaturbith, diacitonites, diaprunis, de succo rosarum, de psyllio, confectio Hamech, Indum majus & minus, multis nominibus accusabuntur: quòd crudis radicibus, corticibus, fructibus & foliis naturam fatigent: quòd impuritatum non sint factæ separationes: quòd dissentanearum rerum mixtiones committantur. Tardarum actionum accelerationes, statuum discussiones, amaritudinum, erosionum, & acrimoniæ mitigationes, aliter emendari possunt, quàm admixtione cassiæ, mannæ, thamarendorum, prunorum, rosarum, anisi, veniculi, cymini, ameos, cinnamomi, caryophilorum, nucis muscatæ, dactylorum, jujubarum, pinearum, passularum &c. *Tales Mixtiones & Compositiones remediorum, non sunt Naturæ legibus consentaneæ.* Ipsa, Cyclaminum in Germania produxit, Polypodium in Dania, quorum usu, si flatus suscitantur, tormina, erosiones, difficiles & tardæ purgationes, non propterea jussit, ex Arabia dactylos, ex India cinnamomum, caryophylos, nuces muscatas, ex Italia anisum, cyminum, seseli, ameos, ex Hispania saccharum, advocari: sed ligna conjunxit, ex quibus carbones fieri voluit: silicem quoque,

& herbas, vitri materiam subministraturas, & argillam, fornacum constructionibus obtemperaturam. Postea concoquere jussit, cruda maturare, impura separare, amaritudines in dulcedinem transmutare, erosionum, calorum, saporum, odorum, coagulationum tædia mitigare: & nos Ministros esse præcipit ac Separatores, non Magistros vel Compositores, nisi ad ipsius leges spiritualia Conjugia instituere possemus. *Pilularum fere omnium compositionem, in quibus venenata illa Simplicia ingrediuntur, quis unquam laudare potest?* Colocynthidem, helleborum, turbith, hermodactylos, succos tithymallorum, elaterium, scammoneam, euphorbium, tam manifesta venena, cruda, & impura *continent, frequenter dissentaneis rebus ad mixtionem non tendentibus*, ut resinis, gummatis, serapino, hammoniaco, galbano, &c. permixta: nisi quantitatis exiguitate excusarentur, exhibitiones jamdudum ab ægrotis repudiatæ obsolescerent. Trypherarum, etiam Andromachalis Theriacæ censuras, hoc loca non adjungemus. Accusationum copia sæpe Judicibus fastigiosa & suspecta extitit. Confectiones lætificantes, electuaria de gemmis, diamargaritones frigidi, & calidi, nulla ratione intentionibus compositorum satisfacere possunt. Si enim lætificare debent, confortare, exhilarare, regenerare, quæ spirituum vitalium sunt officia, quomodo corporibus tam solidis, tam non ab humana natura solubilibus, spirituum ministeria absolventur? *Externi quidem sensus, splendore & clangore auri delectantur, interni verò spiritus ab Avaritiæ crimine planè sunt expediti. Omnino corpora spiritualia reddi debent & volatilia, si spirituum actiones, & legitimas languorum sanationes ab iis requirimus.* De Unguentorum, Emplastrorum, Oleorum, Compositionibus & Præparationibus copiosus est PARACELSUS in Chirurgicis libellis, facilique explicatione defectus & errores communium Medicorum ostendit. *Fatemur, hisce Remediis utcunque compositis & præparatis, morbos nonnullos sanari, Alimentarios scilicet, in quibus impuritatum radices, faciles admittunt resolutiones, purgationes, consumtiones & ablationes*: & nos quoque iisdem sæpe sanitatem ægrotis restituimus, & febres leviores, ictericias, pleuritides, catarrhos, tusses, jugulavimus. *In gravioribus verò morbis, in quibus fixæ radices aderant, exaltatæ, & ad extremitates ductæ, usus bonorum, remediorum, ac similium, votis ægrotorum satisfacere non potuit.* Proinde potiora quæsivimus, & potentiora, exquisitius præparata, & felicius composita. Neque censuram horum Comitiorum subterfugient famosa illa remedia, quæ nunc per universam Germaniam laudantur ab his, culpantur ab illis. Inter quæ, primo Antimonii vitrum producemus, quod accusationem meretur, quia puri ab impuro separationem non recepit: quòd resolutionem debitam, & digestionem non sustinuit: quòd fusio-

fusionem vitrificatoriam admisit, in omni remediorum Præparatione fugiendam. *Fusiones Spirituales requirimus, non Corporeas.* Frustra quoque purgationes alvi, per antimonium obstinatè instituuntur: altioribus prædestinationibus destinatum fuit. *Vitrioli spiritum emendatum, ad odoris suavitatem, & dulcis aciditatis gratiam reductum, in qua sensibilis corrosio in lingua non appareat, nec tarda austeritas, sed spiritualis aciditas, tanquam utile medicamentum, in multis affectibus & curationibus necessarium admittimus.* Digestionum leges, ignium administrationes, vasorum idoneorum adaptationes, magnum hic operæpretium habent. Nihilominus asseveramus, *veram volatilitatem vitrioli, in qua Arcanum epilepsiæ, suffocationis matricis, palpitationis cordis, corroborationis spirituum cerebri & cordis delitescit, destructam esse in tali Præparatione & Reiteratione.* Incognita desideria labores reddunt difficiles. *Sulphuris flores, à colcothare sublimati & reiterati, innoxii sunt*: impuritates febriles, pestilentes, pleuriticas, peripneumonicas, leviores, tutò & subitò auferre possunt: tusses antiquas, & asthmaticos affectus egregiè sublevare. Ponderum proportionibus commensuratus ignis, & instrumentorum idoneorum adhibitiones, in hac Præparatione, fata regunt. *Cave autem ne arbitreris, te genuinos flores sulphuris, fixos scilicet, & ab impuritatibus perfectè separatos, hoc pacto invenisse.* Ridet Natura avaras spes. In Mercurii Præcipitatione, & Turbith mineralis præparatione, peccant vehementer quamplurimi. *Non enim satis est, aqua salis nitri, vel aliis fortibus aquis, ex vitriolo, alumine, nitro, & similibus, in pulverem rubicundum vel flavum præcipitasse Mercurium.* Neque ablutiones per aquas albuminum ovorum, per vinum sublimatum, etiamsi vigesies repetantur, venenatas impressiones aquarum fortium auferre possunt: etiamnum cruditates & venenatæ impuritates, vomitionum, resolutionum, palpitationum cordis, difficillimarum purgationum, authores relinquuntur, & corrosivæ proprietates vehementissimæ, quarum beneficio, opem ferente volatilitate Mercurii, pustulosæ impuritates leviores sæpe auferuntur, relictis tamen radicibus, recidiva symptomatum repetitione redituris. Ita quoque externæ pustulæ & scabiosæ cutis defœdationes, spiritibus aquarum fortium, thermis & balneis similibus tolluntur, quamvis recidivas promittant. *Præstantior est altera Præcipitatio, quæ longiori tempore absolvitur, cum foliis auri, idque donec in aqua calidi albuminum ovorum non reviviscat amplius.* Apta instrumenta, ignis mediocritates, & assiduæ reductiones, postquam ascenderit, hanc provinciam moderantur. Estque medicamentum hoc utilissimum, ferè necessarium in morbis plurimis, tam acutis, quam chronicis. Innoxius est priori. Attamen & hic cruditates relinquuntur, neque facta est separatio puritatum à venenis. Arcanum certè Mercuriale,

le, tali venatione non capitur. Multi, instrumentorum artificiosa machinatione, Præcipitationum compendiosas vias invenerunt, sed inutiles. Ubique Mercurius mirabilis est, & actionum efficaci potestate, ac sanationum virtute, utcunque Præparationum inclinationes acceperit, Artificum industriam, & laborum patientiam excitare potest, ut altiores Præparationum modos indefesso studio inquirant. Crocus Martis, innoxium planè est medicamentum, in plurimis affectibus, tam internis, quàm externis, utilissimum. Hîc, ignis temperamentum, fornacis commoda constructio, primas tenent: quamvis mixtiones & imbibitiones non sint inutiles. De Auris Diaphoreticis corrosivis, Tincturis corallorum, resolutione Chrystallorum, de oleo arsenici, plumbi, & similibus, alibi tempestivius agemus. Neque omnia nunc recitare, consilium est. In his exemplis qui probè exercitatus fuerit, de plurimorum Remediorum Præparationibus haud iniquam censuram ferre poterit. Sunt & alia Remediorum genera, quæ Præparationum ratione à prioribus differunt. Quemadmodum enim de alimento dicebat Hippocrates: *Alimentum est quod nutrit*, id est, quod in spirituales vapores conversum est, ab impuritatibus separatum, digestum & maturatum, à talibus enim vaporibus nutriuntur spiritus vitales, actionum authores: *deinde alimentum est & illud, quod nutrit quidem, sed obscurè*, æquivocè, quod adumbrata imagine veram nutritionem æmulatur: in hoc, exquisita separatio & digestio non est absoluta: *tertio, alimentum est, quod nutriturum est*: tale corporeum existit, & primum subjectum quod resolutionem, separationem & digestionem requirit; ita & nos de Remediis dicemus: *alia remedia sanare morbos, alia veluti sanare, quædam sanatura. Quæ spiritualia sunt & & morbis consentanea, sanant*: *in quibus vero impuritates corporeæ & cruditates etiamnum relinquuntur, sanant quidem, sed non perfectè*, id est, veræ sanationi simile quippiam ostendunt. *Cruda vero, corporea & immatura remedia, postquam præparata fuerint, sanationis officia absolvent.* Morborum gradus, Anatomiæ, exaltationes, Elementa, &c. subtilitatum & Præparationum terminos in remediis constituunt. Febres enim non requirunt tam Spiritualia remedia, quemadmodum epilepsia, podagra, hydrops: neque ventriculus & intestina, synovia vel sanguinis alimentum expetunt. Hæc causa est, cur in multis morbis, corporea quodammodo remedia curationi satisfaciant, sicut in vulneribus, febribus, ictεritiis, levioribus cachexiis & similibus affectibus apparet. Spirituum quoque differentias antea exposuimus, quas hic repetere non oportet. *Vicina sunt hujusmodi remedia, gradibus vel exaltationibus, non semper proprietatibus differentia*, quo fit, ut in spiritualibus remediis eædem differentiæ admittantur, quæ in corporeis vel

crudis

crudis antea adducebantur. *Itaque in spiritualium remediorum ordine, Specifica quoque reperiuntur diaphoretica, anodyna, purgantia, confortantia: item febrilia, epileptica, podagrica, hydropica, & similia.* Talia remedia, universales curationes sæpe æmulantur. Sunt enim exaltata, ad generum potestates & amplitudines deducta. Individuorum tardas & angustas proprietates deposuerunt. In his, spirituales virtutes, post corporum & impuritatum separationes, miscentur. *Cruda vero, Specifica, & corporea, difficiles habent mixtiones.* Proinde ex crudis Specificis, spiritualia præparanda sunt. Potens est Natura metamorphosin sustinere, virtutum servata integritate. Actionum particulares & Individuæ proprietates, in Præparationibus sæpe mutantur, universales tamen & primæ, à quibus veræ morborum sanationes dependent, in legitimis Præparationibus permanent. Ita mundificantia, nunc per alvum, nunc per urinas, nunc per sudores & insensiles Transpirationes, impuritates morborum auferunt. In febrium ordine, nonnullæ purgatione per alvum sanantur, aliæ per urinas, quædam per sudores & insensiles transpirationes. Una etiam eademque febris, quæ ab initio, electuariis de succo rosarum, de psyllio, cæterisque per alvum purgantibus, sanari poterat, progressu temporis, impuritatibus exaltatis, non per alvum, sed per urinas, per sudores, per insensiles transpirationes mundificari cupit. Rursus, unum idemque remedium, vomitus & alvi purgationes ciet, diureticum postea evadet, vel diaphoreticum, consumtivum, mundificativum, consolidativum, mitigativum, & confortativum. Ita chelidoniam transformare licet, asarum, cyclaminum, centauream, urticam, & multa Vegetabilia: ita vitriolum, antimonium, tartarum, Præparatione, diversis remediorum ordinibus adaptantur. Sunt & aliæ Præparationum differentiæ, & Compositionum leges: de quibus suis temporibus & locis agemus. *Interpretationes enim faciles aspernantur: difficiles, imperitis odiosæ existunt.* Quocirca, si meis monitis obtemperare voluerint, in hisce remediorum differentiis, Proprietatibus, Præparationum scopis, & compositionum modis, de quibus non solùm hoc Capite, sed etiam aliis locis, in hisce Commentariis, occultè aliquoties egi, exercitentur. Ita enim paulatim deposita corporum gravitate, spirituales rerum Mechanicas facilius percipient. Generales certè Præparationum Intentiones, & remediorum proprietates, ad Particulares omnes curationes suffecturas, demonstravi, de quibus hanc Summam facio:

Remediorum differentias morborum naturas imitari. Simplicitates, compositiones, potestates & exaltationes, secundum morborum Analogiam admittere:

re: esséque remedia alimentaria, medicamentosa, & venenata. In singulis easdem proprietates vigere, agendi tamen potestate & virtutum robore differentes. Specificas facultates in natura contineri, quæ certas impuritates respiciant. Caliditates, frigiditates, &c. sapores, & externas applicationes in remediorum proprietatibus dijudicandis inutiles esse censores: Corporum Principia, proprietatum radices rectius monstrare. Quia verò à venenatorum usu nulla ratione excusemur, præparationum & compositionum necessitatem irrepisse, in qua cruditates maturantur, impura separantur, corpora solvuntur & spiritualia redduntur, calores, sapores, odores & similes qualitates humanæ naturæ infestæ corriguntur, mitigantur, tolluntur, illæsis virtutibus morborum curatricibus. Compositiones faciliores in spiritualibus remediis quam in crudis existere, quarum necessitates Præparatione sæpe auferuntur: servaríque in Præparationibus specificas proprietatum vires, quamvis actionum Individuæ proprietates varientur. Ita immensa absoluta navigatione, qui naviculam benignè direxisti, Hymnum meruisti, Noctis quiete gaudentem.

PERORATIO.

IDeam Philosophicæ Medicinæ proposui, fundamentáque solida collocavi, ex quibus universa Artis officia ordinate deduxi. Consensum Hippocratis & Antiquorum Philosophorum passim adjungens, demonstravi Methodos Medicinæ quibus nunc triumphat Seculum, nulla Antiquitatis authoritate stabiliri. Errorum causas & correctiones frequenter explicavi. Equidem arbitrabar totius Naturæ lumen, in solo Galeno, non fuisse exhaustum, sed adhuc relicta semina in Sapientiæ thesauris, quæ temporibus & nationibus in seculi consumtionem immutabili lege destinata sunt. Proinde, si judicii libertate fretus, contra Archigenem, Asclepiadem, Herophilum, Protagoram, Erasistratum, Quintium, Præceptorem suum, etiam contra Mosen, viventis Philosophiæ interpretem, sæpe frivolè disputavit: quæ religio est, ipsius scripta, quæ nobis non magis quàm ursis & apris destinavit, tanquam Evangelica oracula venerari? Quæ impietas est, Hippocratem ad Galenum conferre, non Galenum ad Hippocratem? Libertatem humani ingenii, Naruræ lumen, discernendi, judi-

Judicandi facultatem, homines hominibus eripere non debent. Desiit Monarchia Græcorum. Turpe est ex aliorum vigiliis, laboribus, & observationibus, nostræ socordiæ & ignaviæ patrocinia quærere. Laudo industriam Galeni, ingenii subtilitatem, & celeritatem admiror: observationes quoque, quas paucas, illaudatas, suis Hypothesibus accommodatas adjunxit, admitto, neque omnes curationum Indicationes vel locorum affectorum dignotiones, quas ipse proposuit, contemno. Declaravi in his Commentariis, in quibus morbis, qua ratione locum haberent dignotiones & Indicationes Galenicæ. Erant, qui subitò universas medendi leges longa consuetudine receptas, nos demoliri velle arbitrantur. Tutius est consilium, paulatim errores corrigere, Medicorum industriam strenuè excitare, ad Naturæ & Proprietatum inquisitiones, à quibus sanationes, & omnes vitales actiones procedunt, clanculum adducere: ita enim officium majori gratitudine absolvetur. Proinde, qui nunc in Arte consenuerunt, utantnr Syrupis, Conditis, Trageis, Electuariis, Pilulis, Epithematis, Cucuphis, Oxyrrhodynis, unguentis, in morbis quibus sciunt. Prudentiores enim sunt, quàm ut meis admonitionibus in hoc negocio egeant. Diætam ordinent, venas incidant, & magnorum morborum, si non Curatores saltem Adulatores sint. Interea, pietatis & præceptis memores, juniores ad altiora remedia, ad potentiores medendi rationes, indefessis laboribus & vigiliis inquirendas, candidè adhortentur. Benignum & plenum humanitatis est fateri per quos non profeceris, vel saltem, quantum & quousque profeceris, quatenus votis & exspectationibus tuis responderint eventus. Ita maturescentibus illis, & monita majorum, tempestivæ pœnitentiæ principia repetentibus, immortalis memoriæ gratiam referent. Invidia aliorum ab hac provincia absterrere eos non debet. Scio & ego, quantis fluctibus me objecerim. Sed tela adversariorum prævisa sunt: minus ferient. Scutum objeci quod aciem facilè retundet. Fuci verò, magnitudine solùm terribiles sunt, aculeis destituuntur. Quòd si aculeos strenuè quæsiverint, depositis ignaviæ signaturis, subitò in apes transplantabuntur, & nobiscum grata concordia ad mellificum conspirabunt. Tum verò fortiores & plures redditi, ignavum pecus à præsepibus arcebimus. Veritatemque in umbrarum carceribus detentam liberabimus, & liberatam benignè posteritati communicabimus. Itaque admoniti vigilate, & stationis vestræ memores, diligentius Naturæ mysteria inquirite. Proprietates Salium, Sulphurearum specierum & Mercuriorum addiscite.

Relin-

Relinquite fatales illas Hypotheſes Caliditatum & Complexionum, in perniciem totius Medicinæ inventas. Surgite à ſomno. Vita enim vigilia eſt. Papaveris Urbana pocula admiſiſtis: ex horum fornicatione & ſomnolenta ebrietate, occaſione nacta, Erratica ſupervenerunt: & niſi æquiora diligentioraque officia poſthac vobis cordi fuerint, tertium illud proculum, cujus nomen Verecundiæ vinculis etiamnum committemus, brevi aderit. Hujus violentia Metamorphoſes contingent, quas veniens ætas longa admiratione ridebit. Abſit omen; meliora me ſperare jubent multorum voluntates humaniores quodammodo redditæ, & cenſurarum violentiæ nonnihil mitigatæ. Deus Optimus Maximus errantes in viam revocet, & disjunctas hominum mentes diſcuſſis tenebris conciliet, ut beata illa Unitate, quam in Filio ſuo unigenito propoſuit, adepta, Socii & Cives Cœleſtis Hieruſalem redditi, æterna Veritatis cognitione gaudere poſſimus: Amen.

ANACEPHALÆOSIS

Præcipuas totius Philoſophiæ Medicinæ Concluſiones, juxta ordinem in ſuperioribus Capitulis ſervatum, continens.

MEdicina morborum omnium, ab Altiſſimo creata eſt, & in Naura collocata, quæ debitè præparata, & ab Elementis impuritatibúſque admixtis ſeparata, poteſtate & vitali robore, univerſos humani corporis languores auferre poteſt: idque non calefaciendo, refrigerando, humectando, ſiccando: non abſtergendo, incidendo, penetratione, ſed longè altiore actionum proprietate: fundatúrque in vitali Principio Semine, Balſamo, Vegetabilium, Mineralium & Animalium: cui omnium actionum in Natura Principium acceptum referimus: adeóque legitima hujus Naturæ præparatio & adminiſtratio Medicam conſtituit Scientiam & Medicos rectè appellat.

Quia verò actionum omnium naturalium fundamenta, in materia illa radicali, Balſamo, & vitali Sulphure continentur, debet Medicus proprietates, differentias, præparationes & adminiſtrationes hujus Naturæ, omni ſedulitate, cura & diligentia inveſtigare.

Elemen-

Elementa ſunt loca, matrices & domicilia, vitali validáque poteſtate munita, quæ ſemina Generationi conſecrata fovent, digeſtis temporibus ſuſcitant, ad maturitatem promovent, & emeritis receptacula concedunt immutabili quiete beata. Et quia loca ſunt, incorporea ut ſint, neceſſitas jubet. Niſi enim eſſent à dimenſionum legibus abſoluta, nequaquam corporum, Principiorum & ſeminum tantam multitudinem tam facile reciperent. Infinita tamen non ſunt, vitali virtute fines & terminos præſcribente: quibus non ſolùm ipſis ſtandum eſt, ſed etiam ſeminibus, Principiis, etiam corporibus, utcunque ſuperba dimenſionum explicatione triumphent. Vacua, vel inania ſunt, ſimili propemodum providentia: alioquin inæquali favore, quibuſdam ſeminibus plus obligata, aliorum Rationes obſcurius recepiſſent, & minimè ſinceras repreſentaſſent.

Semina, ſunt vincula utriuſque Naturæ viſibilia inviſibilibus conjungentia: in quibus motuum leges, temporum prædeſtinationes, Generationum & Tranſplantationum lithurgiæ, & univerſæ mundanæ Anatomiæ diſpenſationes continentur, tanquam in vitalibus potentiis incomprehenſibili ſapientia decoratis. Quorum miniſterio, Agentium impreſſiones, à Patientibus, admittuntur vel repelluntur, ſumma infimis conjunguntur, & totius Naturæ ſympathia cuſtoditur: ex quibus, ſapores, odores, colores, & qualitates vitales omnes, quantitates, numeri, conformationes & ſignaturæ cæteræ, in mechanico Generationum & transmutationum proceſſu procedunt.

Principiorum & Elementorum permixtorum naturas, ipſe in Capitulo ſeptimo inquire. Recapitulationes enim difficiliores, non ſine cauſa, obtinuerunt.

Generatio, progreſſio eſt ſeminum, in qua, ex fontibus, Abyſſis, & vitalibus Principiis, ordinata corporum explicatione, in hanc mundanam ſcenam, definitis temporibus progredientia, Individuorum renovatione, Specierum perpetuitatem cuſtodiunt: fiúntque in hac lithurgia, ex inviſibilibus viſibilia, ex incorporeis corporea, poteſtate vitalis immortaliſque Scientiæ, in univerſa Natura vigentis. Cujus efficientia, Elementa, & corporum Principia officiis conſentanea, colores, ſapores, odores, caliditates, frigiditates, humiditates, ſiccitates, magnitudines, ſitus, conformationes, conſenſus durationes, digeſta tempora, & omnia corporum ornamenta, admirando ordine producuntur. Diverſi quoque generationum ſunt modi, ratione Elementorum & ſeminum: adeóque in

quibuſdam planè neglecta ſunt ſexuum diſcrimina: in nonnullis obſcura rudimenta apparent; in aliis verò, ſexuum perfecta ſeparatione, Individuorum proprietates manifeſtius explicantur.

Mixtio, eſt ſeminum ad Generationem procedentium inſtrumentum, cujus miniſterio, Elementa & corporum Principia ſeminibus domeſtica, colligata, unitatem ſuorum Exemplaricrum æmulantur. Variantúrque Mixtionum uniones ratione ſubjectorum. Spiritualia deinde corpora, veram Mixtionem, à penetrationis dimenſionum periculis expeditam conſtituunt: idque vitali virtute mechanicorum ſpirituum. Tranſplantatio Generationi, interveniente Mixtione accidit, communíſque eſt Generationum omnium ordinibus, ſive levioribus Tincturis Individuæ naturæ proprietates immutentur, ſive validioribus, Specierum ſignaturæ tranſplantatæ, novæ familiæ inſignia demonſtrent. Poſtremò, validiorum occulcorúmque aſtrorum reſolutiones, Tranſplantationes tam potentes comitantur, ut novarum Generationum appellatione, vigorem Principiorum declaraverint.

Generationis humanæ radix, fundamentum, Principium, in Balſamo illo vitali continetur, quod univerſi corporis Anatomiam occupavit: idque tam in fœminis quàm in maribus viget, mutuóque congreſſu efferveſcit & ſuſcitatur, fœcundáque ſpirituum Mechanicorum ſobole, ad teſtium Anatomiam, & hinc ad materiam naturali impetu confluit, unà cum materia ſeminali, quæ in teſtibus præparata, ſpiritualia Principia felicius cuſtodit. In ſpiritibus verò mechanicis, viget Scientia, cujus poteſtate, Elementa corporum Principia conſentanea, ex alimentis opportuna Mixtione aucta, ex inviſibilibus inviſibilia, ex incorporeis corporea tandem evadant. Partiúmque numerus, ſitus, conſenſus, figuræ, magnitudines, reliquæque ſignaturæ, ſecundum prædeſtinationes dictæ Scientiæ, definitis temporibus abſolvuntur. Sexuum diſcrimina ex ſupervenientibus Tincturis pendent, in communi verò radice & Principio unita conſpirant.

Actiones omnes naturales à ſpiritibus proficiſcuntur, iiſque differentibus, ſubtilitate & craſſitie, ſecundum actionum Analogiam. Progreſſio ſeminum, & Scientiarum diſtinctio, partium neceſſitatem attulit. In iis, tanquam aſtris & radicibus coacervantur, & quaſi ad centrum revocantur ſingularum ſpirituum theſauri: indeque perenni radiorum defluxu cuncta foventur Anatomiis eorum conſentanea. Concoctionum officinæ pluri-

plurimæ ſunt: Communéſque appellantur, in quibus impuritatum ſeparationes manifeſtæ & corporeæ, neceſſario contingunt. Generatio quatuor humorum, ſanguinis, bilis, pituitæ, melancholiæ, in hepate phantaſtica eſt. In ſanguine enim, tanquam Elemento, innumerabilia ſemina, eáque proprietatibus trium Principiorum inſignita, continentur. Superiorum Elementorum aſtra, fructibus inferiorum nutriuntur, & rurſus inferiora, ſuperiorum favore non deſtituuntur, ſed cuncta opportunis temporibus debitè conſpirant, Revolutionúmque ſuarum periodos inviolatas cuſtodiunt, niſi prævaricationes peregrinorum ſeminum inimica Transplantatione irrepant.

Morbi ex ſeminibus producuntur: ſemináque & radices in Natura habent, non in certis quibuſdam Individuis, ſeorſim, ſed aliorum radicibus adhærent. Maledictione Divina, primis puriſque rerum ſeminibus ſupervenerunt. Scientias, prædeſtinationes, & ſignaturas Scientiis conſentaneas acceperunt. Et quia fructibus Elementorum, à quibus alimenta haurimus conjunguntur impuritates, morborum authores, differentias eorundem fructuum imitantes, Elementorum ac ſeminum proprietates diverſas oſtenderunt, repudiatis claſſibus intemperierum, humorum, & obſtructionum Generationes quoque Tranſplantationes, conſuetas perpetuas, inſuetas, & novas, ut & alia Elementorum ſemina obtinuerunt.

Loca morborum diverſa ſunt, ſeminúmque conditiones & progreſſiones imitantur, quæ ex ſpiritualibus Tincturis, ad corporeas coagulationes ſæpe deſinentes, locorum diſſimiles ſocietates oſtendunt. Actiones læſæ, non mineras morborum, ſed conſenſus & ſympathias partium declarant. Excrementa, dolores, humores, in corporeis & extremis affectibus ſolummodo ſignificant. In primis vero Radicibus & ſpiritualibus Tincturis, Elementalia loca, Remediorum beneficio, & Symptomatum vehementia, rectius inquiruntur. Tempora deinde morborum, tam Digeſtionum, quàm Reſolutionum, ex Scientiis & Donis ſeminum, prædeſtinationes acceperunt, ſuntque in familia earum ſignaturarum, quæ Speciei vel Radici, non Individuis cohærent. Tranſplantantur tam loca, quàm tempora morborum, efficientia cauſarum, quæ Tranſplantationes efficere ſolent. Poſtremo, Signaturæ & ſymptomata reliqua morborum, ut actionum læſiones, excrementorum immutationes, calores, dolores, colores, ex ſpiritualibus, & vaporoſis reſolutionibus, morbidarum Radicum proficiſcuntur. Curationes omnium morborum duplices ſunt:


Universales, & Particulares. In Universali & perfecta, uno eodémque remedio, absolvuntur Resolutiones impuritatum morbosarum, purgationes, consumtiones vel ablationes, & restaurationes, mitigationes, corroborationes innati Balsami. Particulares verò curationes, quæ veræ & legitimæ existunt, pluribus Indicationibus, & diversis Remediorum proprietatibus, actiones tamen & conditiones Vniversalis curationis, quoad fieri potest imitantibus, absolvuntur. Indicationes curativæ veræ, in proprietatibus Vegetabilium, Mineralium, & Animalium, fundantur, faciléſque mixtiones in debitis Præparationibus admittunt. Vniversalium curationum officia, ex Particularibus Indicationibus, remediiſque in morbis non consumatis & extremis, ſæpe adimplentur: ſuntque gradus Particularium Remediorum, superiores & inferiores. Calefactiones, refrigerationes, humectationes, exiccationes, phantaſticas Indicationes oſtendunt, & proprietatibus Naturæ Radicalibus, Scientiæ & poteſtatis Diſpenſatoribus, carent.

Remediorum differentiæ, morborum naturas imitantur: ſimplicitates, compoſitiones, poteſtates & exaltationes ſecundum morborum Analogiam admittunt. Suntque remedia Alimentaria, Medicamentoſa, & Venenata. In ſingulis eædem proprietates vigent, agendi tamen poteſtate & virtutum robore differentes. Specificæ facultates in Natura continentur, quæ certas impuritates reſpiciunt. Caliditates, frigiditates, &c: ſapores, & externæ applicationes, in Remediorum proprietatibus dijudicandis, inutiles ſunt Cenſores. Corporum Principia, Proprietatum radices rectius monſtrant. Quia verò à Venenatorum uſu nulla ratione excuſemur, Præparationum & Compoſitionum neceſſitas irrepſit. In qua, Cruditates maturantur, impura ſeparantur, corporea ſolvuntur & ſpiritualia redduntur, calores, ſapores, odores, & ſimiles qualitates humanæ naturæ infeſtæ, corriguntur, mitigantur, tolluntur, illæſis virtutibus morborum Curatricibus. Compoſitiones faciliores in Spiritualibus remediis, quàm in crudis exiſtunt, quarum neceſſitates Præparatione ſæpe auferuntur: ſervarique in Præparationibus, Specificas Proprietatum vires, quamvis actionum Individuæ Proprietates varientur.

F I N I S.

ELENCHVS CAPITUM, HOC OPERE Contentorum.

FINIS.



Tabula plana Verorum tum Compositorum Entium in septem Ordines dispositorum.

Primus ordo est Entium Verorum, & sunt se stantium Elementorum, seu substantiarum radicalium, ab inito spacio, in infinitum spacium fluentium.

Secundus erit Elementorum Seminariorum, partim se stantium, partim alistantium, & extremitates se stantes, cum alistantibus vincientium.

Tertius ordo est Elementorum alistantium, hoc est concretorum, & à radicalibus & seminariis fluentium, & stantium.

Quatuor reliqui ordines sunt sensuum & rerum sensibilium.

Quæ omnia originem habent ex Dei voluntate, & sui scientia voluntati finis, sui scientiæ infinita potentia respondet, ex quibus primum Ens Metaphysicum, & ab eo sex alia Elementa, seu Entia radicalia primi ordinis fluunt.

Potentialia				Media	In actum reducta				
Hic est ordo septem Entium Elementorum seu causatum radicalium & firmamenti super quas quasi causas exemplares in quibus causata manent & ex quibus secunda Entia seu verorum Entium simulachra producuntur & à quibus causata prima progrediuntur aut peregrinantur, ut septem ordines seminariorum Elementorum aut Astrorum constituant, & corpora quasi horum fructus, istis scientiis conformia, producant & nutriant.	Primus ordo ex fine & infinita potentia per Ens increatum & dicitur	Hic est ordo seminariorum rationum, astrorum seu primarum causatarum in Elementis radicalibus ut primis causis manentium & ab iisdem virtute spirituum Mechanicorum progredientium, ut ex incorporo incorporea corpora, & inde corpora incorporea producant, & corpus tandem quod cum incorporo, quasi insensibilem cum sensibili natura, scientifico nexu vinciant, copulent, tum & principia corporum & Elementa concreta constituant.	Secundus ordo ex spatio infinito fluit.	Hic est ordo Principiorum Hypostaticorum corporis fluoris seu Mercurij, ignis & aeris, tum hypostaticorum corporum salis & sulphuris, tum concretorum Mineralisatorum Elementorum terræ & aquæ ut priorum fructus à spiritibus rationum seminariorum fluentium ad mixti productionem à quibus per conversionem fit resolutio & reditus causatarum ad primas causas unde venerunt, ut fistolen ad diastolen totius mundi referant.	Tertius ordo ex fluore infinito mediáte spacio & aliis seminariis fit finitus.	Ex concretis Elementis & Mineralisatis fiunt sensus septé mediantibus radicalibus & seminariis Elementis in Vegetabilibus, Mineralibus & Animalibus.	Ex aqua mediantibus sensibus apparet.	Ex vitri scoria fit	Ex nubibus immediatè
	Ens seu primum mixtum Metaphysicum. legatur Articulus de Ente.		Spacium finitum in quo		Fluor Mercurius seu Spiritus aliorum causa fixus & volatilis.	Sensus communis seu compositionis per quem sentimus nos omnia intelligendo sentire.	Diaphanum.	Opacum.	Fiunt tenebræ & res sensibiles.
	Essentia de qua in progressu.		Lex subprimæva seu essentiæ lux, unde & in quo		Ignis seu firmamentum intensè fixus & remissè volatilis.	Visus tangendo objectum è remoto agit & patitur recipiendo species.	Ex Diaphano fluit lux ætherea.	Umbrositas.	Principia colorum ut in Iride.
	Vita, legatur articulus de vita.		Splendor subprimævus seu vitæ splendor, unde & in quo		Aer summè volatilis & remissè fixus.	Auditus tangendo objectum minus remotum agit & patitur recipiendo species.	Ex luce ætherea splendor æthereus.	Spiritus volatilis.	Sonus.
	Intellectus. legantur quæ de intellectu.		Lumen subprimævum seu intellectus lumen, unde & in quo		Sal fixum quod tamen volatilisari potest.	Gustus tangendo objectum in propinquo agit & patitur recipiendo species.	Ex splendore æthereo fit lumen Elementare in quo sũt salia omnia composita	Fluores Metallici.	Saporiferum inæquabile, asperum grave densum aut compactum.
	Anima de qua in progressu.		Calor subprimævus seu animæ calor, unde & in quo		Sulphur volatile quod tamen fixari potest.	Odoratus tangendo objectum in mediocri distantia agit & patitur recipiendo species.	A lumine Elementari fiunt sulphurea omnia fixa	Fuligo.	Odorifera & colorata.
	Natura seu spiritus de quo in progressu.		Scintilla sulphuris fixi seu naturæ scintilla, unde & in quo		Terra seu arena fixa.	Tactus in propinquissimo tangendo objectum agit parum & patitur recipiendo species multum.	Ex sulphure fixo vitrum, Gemmæ & lapides prætiosæ.	Nubes	Tactibilia
	Materia de qua in progressu.		Atomi seu primus humor materiæ.		Aqua volatilis.	Sensus resolutionis seu privationis in particularia, per quem sentimus res deficere in aliquibus sensibus & redire in suas causas.	Ex vitro fit vitri scoria.	Materia incrustatoria.	Æquabile, leve & rarum